



1673.

1. Clasen, Daniel: De patria potestate
2. Conringius, Hermannus: De civili philosophia ejusque optimis ac praecipuis scriptoribus.
3. Eichelius, Johannes: De retorsione injuriarum verbalium
4. Engelbrecht, Georgius: De evictionibus
5. Eschenhart, Johann: De usu principiorum moralis philosophiae in jure civili interpretando.
6. Eybenius, Hubertus: De assassinio seu homicidio imperato.
7. Meibomius, Huricus: Programma . . . Hurici Meibomii, Med. prof. ord.: quo ad anatomiam corporis foemini . . . omnium ordinum curiosis invitatur.
8. Meibomius, Huricus: De cancro mammarum.
9. Meibomius, Huricus: De respiratione ejusque difficultate, causis, et curatione

1674.

1. Bötticher, Joh. Henricus : De fide
2. Cläsen, Daniel : De juramento
3. Lybicus, Huldricus : Processus instantiae restitutio-
nis in integrum adversus quosvis judicium sententias
et decreta
4. Hattenbach, Joh. Salomon : Theses medicae in univer-
sa arte septemtae
5. Meibomius, Henricus : De ulcerum natura et curatione
in genere
6. Meibomius, Henricus : De spiritibus ex vegetabilibus
per fermentationem paratis
7. Meibomius, Henricus : De colica.
8. Meibomius, Henricus : De vulneribus lethali-
bus
9. Meibomius, Henricus : De lacerationibus cranii a causa
externa violenta

10. Nffelmannus, Henricus: De jure naturali gentium
et civili

11. Westenkaltz, Melchior Ludovicus: De jurisdictione
forestali . . .

1. *Phlegmaria*, *Marium*: De jure naturae. *Phlegmaria*
 2. *Phlegmaria*, *Marium*: De jure naturae. *Phlegmaria*
 3. *Phlegmaria*, *Marium*: De jure naturae. *Phlegmaria*
 4. *Phlegmaria*, *Marium*: De jure naturae. *Phlegmaria*
 5. *Phlegmaria*, *Marium*: De jure naturae. *Phlegmaria*
 6. *Phlegmaria*, *Marium*: De jure naturae. *Phlegmaria*
 7. *Phlegmaria*, *Marium*: De jure naturae. *Phlegmaria*
 8. *Phlegmaria*, *Marium*: De jure naturae. *Phlegmaria*
 9. *Phlegmaria*, *Marium*: De jure naturae. *Phlegmaria*
 10. *Phlegmaria*, *Marium*: De jure naturae. *Phlegmaria*



13251.

EXERCITATIO JURIDICA *33. 5/*
DE

EVICTIIONIBUS

QVAM

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA *1673,4*
PRÆSIDE

DN. GEORGIO ENGELBRECHT
J. U. D. INSTIT. IMPER. ET JURIS CRI-
MIN. IN ILLUSTRIS JULIA PROFES-
SORE ORDINARIO


FAVTORE AC PRÆCEPTORE SVM-
MA OBSERVANTIA COLENDO

PUBLICO EXAMINI SVBMITTET

GEORGIUS MATTHIAS MARQUART
QUEDLINBURGENSIS

IN MAGNO IVLEO

ad d. Mens. April.



HELMESTADI,

Typis HENRICI DAVIDIS MÜLLERI, Acad. Typ.

ANNO MDCLXXIII.

33.



EXERCITATIO JURIDICA
DE

EVICTIOMIBUS

DE

DIVINA FAVORE GEMINITA

PRÆSIDE

DR. GEORGIO BINGELIUS

ILL. DN. J. L. D. N. S. T. I. M. R. ET I. U. R. S. S. I.

M. A. I. N. H. E. R. S. T. R. I. J. U. L. I. A. T. O. R. S.

S. O. R. T. C. O. P. I. N. A. R. I. O.

F. A. V. T. O. R. E. A. C. T. I. O. N. E. S. T. I. O. R. U. M.

ET O. M. N. I. A. Q. U. A. E. I. N. I. S. T. A. S. C. H. O. L. A.

P. R. A. E. S. I. D. I. I. N. T. E. R. I. M. A. G. I. S. T. R. A. T. O. R. U. M.

GEORGII MATTHIASI MAGISTRI

OPUS

IN M. A. G. I. S. T. R. O.

1711

Wittenberg

Typis Henrici Davidi Auctoris Aedibus

ANNO 1711





Q. D. B. V.

THESIS I.

Neminem ad sui suorumque conserva-
tionem multis & variis vitæ Instru-
mentis indigere adedò verum & cui-
libet cognitum atque perspectum est,
ut, qui hoc in dubium vocare velit,
suam mentem exuisse videatur. Cum verò haud
fieri possit, ut hæc omnia ab uno patrefamilias
comparentur (aliàs enim ipsi omnis fermè gene-
ris artificia addiscenda essent, quod sane unius ho-
minis operam & industriam longè superat) neces-
sitate cogente plures patresfamilias in unum lo-
cum simul convenerunt, ut edò facilius indigentiam
mutuâ ope explerent, quem tamen finem non ali-
ter obtinere poterant, quàm si instrumenta vitæ
quibus unus indigebat, alter quasi abundaret, inter
se communicarent, quod olim permutando ut
plurimum & aliud pro alio dando ac recipiendo
inter gentes peragebatur *l. i. ff. de contrab. Emt.*
Vendit: de Mauris hoc testatur Salustius in Jugurtham:
idem de Germanis Tacitus Interiores, inquiring, simpli-
cius & antiquius permutatione mercium utuntur. Quia

A 2

verò

verò hoc antiquissimum commercii genus uti ab
Hugone Grotio de Iur. Bell. ac pac. lib. 2. c. 12. S. 3.
appellatur, cum multis difficultatibus conjunctum
erat, Primùm enim res permutandæ sæpius ita
comparatæ erant, ut de loco in locum vel plane
non, vel non commodè transportarentur. *Aristot.*
l. 1. c. 6. Polit. Edit. Couring secundò homines, qui-
bus cum alij permutare volebant, rebus permutan-
dis sæpe numero non indigerent, cum tamen in-
digentia homines unicè ad permutandum trahe-
ret, quâ cessante ipsa permutatio cessabat. *quod si*
enim aut uterque, aut, alter non indiget, non permutant,
Aristot. l. 5. c. 5. Ethic. ad Nicom. Tertio res permutan-
dæ vel nunquam, vel rarò, præsertim cum pleræque
nullam divisionem admitterent, inter sese accura-
tè æstimari poterant, quæ tamen rerum permutan-
darum mensura & proportio in omni justâ permu-
tatione necessariò requirebatur.

II.

Hiscæ igitur difficultatibus, quibus impediti
necessaria vitæ Instrumenta sæpius parare non por-
erant, ut homines obviam irent, excogitârunt
nummum, quem pro rebus acceptis tanquam fi-
dejussorem dabant, ut loco rei pro nummo datæ
quidvis & quovis tempore recipere possent, mo-
dò nummum alteri traderent. Illum ergò huma-
nâ operâ ac conventionem inventum ac introdu-
ctum

Quum esse nemo non cum Philosopho nostro *Aristot. l. 1. c. 6. Polit.* fatebitur, nec id insuper aliquis facile inficiabitur, eum ita comparatum esse debere, ut quibuscunque rebus permutandis accommodari, & permutantibus, ne in rerum translationibus lædantur, prospici possit. Ex quo simul & hoc fluit, Nummum (1) constare debere ex materiâ rarâ; fidejussoris enim vice fungitur, & accipientem securum reddere debet, ut si re ad vitam necessariâ aliquando indigeat, oblato nummo rem illam consequi possit, (2) Illam materiam non debere esse vilem, sed pretiosam, quippe hoc in rebus vilibus fieri consuevit, ut, quò viliora sunt, eò plura in permutationibus dentur, & hâc ratione secundæ difficultati ratione transportationis in permutationibus obvienti haud consulere-tur, nec (3) sufficere in materiâ nummi, ut rara & pretiosa sit, verùm etiam ut in minimas quasi particulas secari, & sic res quasvis ad vitam necessarias metiri possit. Quia verò hæc tria in solo auro & argento perfectè inveniuntur, illas monetæ cudendæ aptissimas esse materias nulla superesse potest dubitatio.

III.

Ex quo itaque tempore nummus inventus fuit, antiquus permutandi modus paulatim abiit in desuetudinem, inque illius locum substitutus quasi

est Contractus Emptionis Venditionis, in quo pro
re empta non rem aliam Emptor, sed nummum, sive
pretium tradit Venditori, aded, ut ex eo tempore
permutatio non ita frequenter, contractus vero
Emptionis Venditionis ad indigentiam civium sub-
levandam cum in alijs tum maximè in Republ.
Roman. sæpius fuerit adhibitus. Quod si enim
antiquam illius reipubl. faciem & legum 12. tabu-
larum reliquias inspiciamus, apparet inde, omnem
alienationem sub vocabulo Emptionis Venditionis
comprehensam, eamq; vel cum verâ; vel cum ima-
ginariâ Emptione venditione fuisse conjunctam, ita,
ut etiam in alijs negotiis, Emancipationibus, Te-
stamentis condendis adhiberi fuerit solita §. 6.
*Instit. Quibus modis ius patr. pot. solv. §. 1. Instit. de te-
stam. ord. l. 29. §. 1. ff. de Statu liberis l. ult. C. de Emancip.
Ulpianus in fragm. tit. 19. §. 1. tit. 20. §. 1. & 8. Caius in
Instit. tit. 6. §. 3. Dionys. Halicarnass. lib. 2. histor.*
Cum verò ejusmodi imaginariæ venditiones in-
extricabiles solum nodos continerent, parum au-
tem prodesse civibus Romanis, postea ab iis
tempore præcipuè Iustiniani Imperatoris recep-
tum fuit, & verus Emptionis Venditionis contractus
apud Romanos solum frequentari cœpit, tanquam
commodissimum & necessarium indigentiae ex-
plendæ remedium *arg. l. 1. ff. de contrab. emt. ven-
dit.* In hoc autem Contractu sequentia primario
quasi

quasi loco diligenter observanda sunt: Emtores
quidem cum ob finem res sibi comparare, ut ea-
rum Dominium adquirant, ijs pro lubitu uti, & in
suam utilitatem convertere possint: Quia tamen
nemo plus iuris in alium transferre potest, quàm
ipse habet, *l. 54. ff. de Reg. Iuris l. Traditio 20. ff. de
acquir. rer. Domin: sequitur* (2) Venditores tum
demum rei venditæ Dominium in Emtores trans-
ferre, si ipsi habuerint; de quo tamen non ita fa-
cile certi esse possunt, cum ad transferendum rei
venditæ Dominium non sufficiat, si venditor o-
stendat, se rem venditam titulo ad transferen-
dum Dominium habili possedisse verum etiam si-
mul jure nostro demonstrare est obligatus vel
se rem istam præscripsisse vel auctorem suum,
à quo ipse rem accepit, istius rei habuisse
dominium *l. nec Creditores 10. verbis si originem
rei probare potes C. de pignorat. act:* Et hoc sane de-
monstratu perquam est difficile. Ne igitur utilis-
simus & humanæ societati necessarius contractus
Emtionis Venditionis aliaque similia negotia
propter difficultates, quibus circumdarentur, si re-
rum dominia semper in eo transferenda essent,
plane tollantur vel saltem retardentur, magno rei
publ. Romanæ commodo receptum est, ut ven-
ditor personæque venditoribus similes necesse
non habeant, quemadmodum in stipulationibus
l. 21.

*l. 21. §. 1. ff. de contrab. emt. l. 75. §. fin. de V. O. Per-
mutationibus l. 3. §. 2. ff. de rer. permut. alijs que Ob-
ligationibus dandi arg. l. 29. §. 3. ff. de leg. 3. domi-
nium in emtorem vel qui emtori æquiparantur
præcisè transferre, sed obligationi suæ satisfecit-
se putentur, si absque dolo vacuum tradant rei pos-
sessionem, & emtori similibusq; personis præstent,
ut rem emtam habere tantum liceat l. 2. §. 1. l. 3. §. 1.
l. 11. §. 2. l. 30. §. 1. ff. de act. emt. & vend. l. 8. C eod. l. 1.
pr. in verb. possessionem tradere ff. de permut. l. 8. ff.
de Eviçt. l. 25. §. 1. ff. de Contrab. Emt. vend. De-
notant autem verba rem habere licere in hac em-
tionis materiâ, si venditor dominium in re vendi-
tâ habuit, ut illud in emtorem transferat, quod si
autem res aliena fuerit vendita, significat condi-
tionem usucapiendi, quæ in emtorem per reiven-
ditæ traditionem ita transit, ut si per legitimum
tempus bonâ fide sine interpellatione rem non
vitiosam possideat, ejus dominium consequatur l.
188. de V. sign. l. 11. §. 2. ff. de act. emt. vend.*

IV.

Quia igitur propter summam hujus contra-
ctus necessitatem, uti ex dictis constat, rei alienæ
venditio permittitur l. 28. ff. de contrab. Emt. vendit.
non potest non sæpius accidere, ut vel verus Domi-
nus vel alius quispiâ, qui potius jus habet in re ven-
ditâ, quàm ipse Emtor, cum conveniat, & rem suam
Emto.

Emtori Iudicis auctoritate legitimè auferat, quod in jure evincere vocatur. Hoc igitur casu iniquum esset, si emtor re emtâ, & pretio dato citra culpam suam carere cogeretur, Consulitur ergo ipsi adversus venditorem vel actione ex stipulatu, vel emti venditi, qua non tantùm pretium, verùm etiam interesse & damnum, quod ex legitimâ rei emtæ ablatiõne in ipsum promanavit, recuperare potest, sive id à venditore fuerit expressè promissum, sive nulla eâ de re facta fuerit conventio: Naturâ enim hæc obligatio inest contractui emtionis vendit: & hoc vocatur in legibus nostris præstare evictionem: De quâ materiâ cum adhuc nonnihil differere animus sit, primum omnium vocabuli hujus significatio breviter tangenda erit.

V.

Evincere hic igitur idem est, ac legitimo certamine, id est, coram iudice competenti instituto vincere, nec vincere saltem, verum etiam simul auferre atque abducere. *l. 17. in fin. l. habere 57. ff. de Evict.* Hoc enim vult particula E significationes vocabulorum augens, uti in verbis elugere, enatare, & præcipuè in hæc materiâ occurrenti vocabulo elaudare, quod, dicente *Festo*, non tantum denotat nominare auctorem, sive venditorem, à quo emtor rem accepit, verum etiam evocare

B

care

care eum, ut emtori in lite assistat, eumque contra
evincendum defendat. *Cuiac. tractat. 6. ad African.
in l. 24. ff. de Evict.* Hinc facile etiam dijudicari pot-
est de vocabulo evictionis, quod ab evincendo
nomen est sortitum, illud enim dupliciter in hâc
materiâ sumitur, aut enim refertur ad ipsum Do-
minum, qui rem suam à tertio possessore, vel Em-
tore aufert, & sic absolutè consideratur, nostroque
Idiomate dicitur *die Entwehrschaft* / aut verò re-
fertur ad personam venditoris, qui evictionem,
si res vendita emtori ablata fuit, præstare tene-
tur, & sic relatè sumitur, atque Germanicè voca-
tur *die Gewehrschaft* / *die Gewehr* / *erwiedrung und
schadlos haltung eines verkaufften Guts.* *Franzk.
in tract. de Evict. n. 4. Dn. Hâbn. in Observ. VVe-
senbec: ad tit. de Evict. n. 10. VVehner. in observat.
pract. lit. G. vocab. Gewehr.* Quemadmodum enim
in contractibus dicitur dolum vel culpam præ-
stare, qui restituit damnum dolo vel culpâ alteri
datum: ita in hâc Evictionis materiâ venditor di-
citur præstare Evictionem emtori, quando illi ob-
rem legitimè ablatam & evictam satisfacit, eum-
que prorsus indemnem servat.

VI.

Evictio porro secundum hanc duplicem si-
gnificationem dupliciter & potest & debet descri-
bi, in primâ igitur significatione ut *Dn. D. Habuy*
descri-

descriptionem in observ. Theoret. Pract. ad Wesenb.
paratitl. n. 1. in fin. allatam retineamus, est rei nostræ,
quam adversarius adquisierat, per judicem recu-
peratio. In descriptione allatâ per vocabulum
Rei non intelliguntur tantum res Corporales ex-
que tam allodiales, quam feudales. l. 2. feud. 8. i-
nit. 2. feud. 80. de Evisct. 2. feud. 87. Verum etiam
Incorporales, quæ in jure consistunt, nec tangi, vel
alio sensu corporeo percipi possunt; §. 2. Instit. de
reb. Corpor. vel Incorpor. uti sunt servitutes Reales
& Personales; Reales sive prædiales, tam urbanæ,
quam rusticæ; possunt enim vendi, vel alio titulo
oneroso in aliquem transferri: si itaque ab eo a-
lienantur, qui eas alienandi potestatem non ha-
bet, dominus illarum, vel ut magis propriè loqua-
mur, qui illas verè adquisitas habet, à tertio vin-
dicare, & evincere potest: arg. integr. tit. ff. si servit.
vindic. l. 10. l. 15. §. 1. l. 46. l. 49. l. 62. §. 2. l. 65. l. 75.
l. pen. de Evisct. quin etiam illa jura sub vocabu-
lo rei comprehendimus, quibus hodie utimur,
non tamen omni ex parte servitutibus sunt simi-
lia, uti est Ius decimarum, jus braxandi, jus pa-
tronatus, & alia, cap. cum seculum 13. ibi cum ratione
feudorum emtor. jus patronatus adquisiveritis X. de
jur. Patron. Dn. Franzk. Comm. ad ff. tit. de Contrab.
Emit. vendit. n. 131. & tit. de Evisct. n. 101, Nicol. Bur-
gund. de Evisct. c. 46. n. 16. Eodem modo & vocabu-

lum nostræ latissimè hîc sumitur. Neque enim illa res tantum nostra dicitur, cujus dominium habemus, verùm etiam ista, in quâ nobis jus ad producendam actionem realem efficax competit, quale est jus servitutis §. 2. *inst. de act. arg. tit. ff. si usufruct. pet. si servit. vindic. l. 30. ff. de noxal. act. l. 19. de damn. infect. pignoris, l. 30. ff. de noxal. act. l. 19. ff. de damno infect. l. 34. §. 2. l. 35. l. 65. ff. de Eviçt. Possessionis, §. 4. inst. de interd. arg. l. 2. ff. uti possid. Hereditatis, arg. l. 25. §. 10. ff. de hered. petit. l. 1. C. de Eviçt.*

VII.

Simpliciter autem positum est vocabulum *Adquiserat*, in descriptione nostrâ, quia perinde est, utrum adversarius, à quo rem nostram evincimus, possessionis justum titulum habeat? Necne; vel etiam sine ullo titulo rem tantùm nudè detineat, & sic asininam, *uti vocant*, possessionem, vel nudam rei evincendæ tenutam habeat *arg. l. 9. ff. de R. Vindic. Donell. comment. lib. 20. c. 3. lit. D. & ibi Hillig. alique ab eo citati.* Per judicem porrò intelligitur competens, cujus jurisdictioni subest adversarius, à quo rem nostram vindicamus, vel qui habet jurisdictionem in loco rei sitæ, licet reus conventus ibi non inveniatur, *l. 24. §. ult. l. 38. ff. de judic. l. fin. C. ubi in rem act. c. fin. extr. de for. compet. juris Consultissimus Dn. Habnîus in obser. ad tit.*

tit. de judic. n. xvj. Sicbard. ad l. ult. C. ubi in re certis
n. 3. Vult. ad l. i. C. ubi in rem act. n. 19. non igitur li-
cet sine iudicis auctoritate rem nostram alteri
auferre, §. i. instit. de vi bon. rapt. l. 7. C. unde vi.
quia singulis non concedendum, quod per Ma-
gistratum publicè fieri potest, ne occasio sit ma-
iores tumultus faciendi l. 176. ff. de Reg. lur. qui enim
contra agit, jure Civili cadit Dominio rei suæ, d.
§. i. inst. de vi bon. rapt. l. 7. & 10. C. unde vi. Menoch.
remed. recup. poss. 9. n. 8. Gutierrez, lib. 1. pract. quest.
77. Hillig. ad Donell. l. 15. c. 30. lit. B. Et ita judi-
catum esse Dn. Brunnemannus asserit ad leg. 7. C.
unde vi. alij tamen rigorem hujus legis hodiè a-
bolutum esse tradunt. Covarruv. libr. 3. resolut. 16.
n. 7. Sarmient. libr. 2. select. interpret. c. 13. n. 7. Quod
in foro Saxonico minus dubii habet, vide Brun-
nem. ad l. 13. ff. quod metus causa. n. 16. in fin. Vocabu-
lum demum *Recuperatio* in descriptione nostrâ eo
de casu est intelligendum, si quis ante Eviditionem
rem in suâ potestate habuerit, eamque postea a-
mittat. Quod si verò is rem evincere velit, qui
hactenus eam nondum habuit, uti sunt Heredes
& Creditores, qui solam hypothecam in rebus de-
bitorum sunt consecuti, illi per Eviditionem non
recuperant rem quam nunquam habuere, sed po-
tius eam primâ vice adipisci dicuntur, arg. l. 83.
& 208. ff. de Reg. lur.

IIX.

In posteriori verò significatione & quatenus à venditore, vel simili præstanda est Evictio, quæ potissimum est hujus loci, ita describi potest. *Ut sit rei venditæ, vel ex alio titulo oneroso translatae ad denunciationem accipientis defensio, & re in judicio legitimè ablatâ pretii, & ejus quod interest, restitutio ab alienante accipienti præstanda, l. 117. in fin. l. 29. §. 2. l. 35. l. 51. l. 55. l. 63. in it. de Evict.* Quia verò singula hujus descriptionis membra ex sequentibus perspicua reddentur, superfedebimus prolixæ illius enodationi. Hoc tamen non possumus non addere, quandoquidem jus, quod in evictionis materiâ considerandum est, non nisi inter plures, & ad minimum tres personas intercedat, cum nemo à se ipso rem evincere, neque sibi ipsi evictionem præstare possit. *Secundò* Evictio de rebus necessariò instituitur, nec in omnibus, sed certis tantum civium negotiis præstanda sit. *Tertiò* tum demum locum habeat, si debito modo facta fuerit, adeo, ut hoc casu, *quartò* si aliquis spontè eam præstare nolit, ad illam præstandam legitimis remediis in jure cogatur, ideo hisce quatuor membris sequens discursus noster includetur, ut (1) personas, (2) res & negotia, in quibus evictio sibi locum vindicat, (3) requisita & modum evictionis præstandæ, (4) & ultimò effectum, aliaque

liaq; eò pertinentia breviter simus consideraturi.

IX.

Quod autem personas in evictionis materiâ perlustrandas attinet, illæ in universum sunt tres. *Prima* est evincens. *Secunda*, à quâ res evincitur, & cui præstanda est evictio, hoc est, damnum evictione darum restituendum est. *Tertia* est, quæ evictionem præstat, id est, damnum ex evictione redundans sarcire tenetur. De personis evincens primùm, licet paucis, agendum est, cum non prius evictio præstanda sit, quàm si aliquis, qui rem suam evincat, extiterit. Illi igitur res evincere possunt, qui vel dominium, vel aliud quoddam jus in re, fortius tamen ipsis possessoribus habent, neque possessoribus ad præstandam evictionem vel defendendum sunt obstricti, quales sunt (1) qui aut jure gentium, aut jure civili dominium acquisiverunt *l. 22. ff. de R. V.* (2) emphyteutæ *l. 1. in fin. ff. si ager vectigal.* (3) Vasalli *2. feud. §. init. in verb. Rei autem per beneficium & 25. in fin.* dominium enim utile habent (4) usufructuarij *l. 15. §. 1. l. 46. in it. ff. de eviction.* (5) qui servitutem realem uti viæ, vel aliam in re vendita constitutam habent. *arg. l. 46. §. 1. l. pen. ff. de evict.* (6) creditores, qui in rebus debitorum jus pignoris sibi acquisiverunt. *arg. l. 30. ff. de noxal. act. l. 19. ff. de damn. infect.* (7) qui servum suum à

tertio

tertio venditum evincit. *l. 15. §. 2. ff. de Evict. (8)*
socius, qui instituit iudicium communi dividun-
do *l. 34. §. 1. ff. de Eviction. & alij similes.*

X.

Ex majori nostrâ fluit, venditorem, licet tempore
venditionis dominiû rei venditæ non habeat, sed
postea demum illud consequatur, tamen rem se-
mel emtori venditam & traditam ab eo evincere
non posse; nam ad præstandam evictionem est ob-
ligatus, & non debet oppugnare emtorem, sed
eum defendere, quin dolo faceret, dum peteret id,
quod redditurus esset, *l. dolo §. ff. de except. dol. ad-*
coque emtor, si eam rem adhuc possidet, pot-
est venditorem repellere exceptione doli, sive
rei venditæ & traditæ: l. 1. in it. ff. de except. rei ven-
dit. & tradit. l. 11. C. de Ev. Et. Quia venditor impro-
bè rem à se distractam evincere conatur. l. 17. ff.
de evict. Quem enim tenet actio de evictione,
eum multò magis repellit exceptio. l. 17. ff. de
Evict. l. 11. C. eod. Donell libr. 20. c. 2. lit. L. Caballin.
de Evict. §. 5. n. 2. Tiraquell de Retract. Consanguin. §. 1.
Gloss. 9. n. 37. Petr. Barbos. p. 5. l. 1. ff. solut. matrim.
Et hæc quidem adeo vera sunt, ut licet ipse non
vendat, sed tertius mandato ipsius, tamen ei no-
cebit exceptio. *l. 1. §. 2. ff. de except. rei vend. & trad.*
modo mandatarius non minoris rem vendiderit,
quàm ipsi mandatatum sit; hoc enim casu res non
vide-

videtur alienata, sed mandans rem suam repetere, nec ipsi exceptio rei venditæ, quia nulla adest venditio, ob stare poterit. *l. 1. §. 3. ff. de except. rei vend. & tradit.*

XI.

Quin & debitori nocebit hæc exceptio, quando Magistratus ad instantiam Creditorum, pignora, ob causam iudicati capta distrahit, ita, ut ipse ea semel vendita evincere non possit, sed agens repellatur: Quia non tam Magistratus, quam ipse debitor illa vendidisse videtur, & sic per Consequens ad evictionem præstandam est obligatus, præsertim cum illa venditio non in utilitatem Magistratus, sed debitoris, cujus creditores pretio accepto solvuntur, maximè vergit, quibus igitur pretii solutio proficit, adversus eas etiam debet dari actio de Evictione præstanda, *l. 13. C. de Evict. Gothofredus & Brunn. ad l. 11. & 13. C. de Evict.*

XII.

Pari ratione venditoris successoribus hæc Exceptio nocebit, sive illi in univèrsum jus, sive in rem venditam duntaxat, & pro quâ parte successerint, *l. 73. ff. de evict. l. 14. de Rei Vind. l. 3. §. 1. ff. de except. rei vend. & trad.* licet etiam verus rei Dominus venditoris heres existat, *l. 1. §. 1. ff. de Except. rei vend. & trad.* nisi lis de evictione, antequam hæres factus ab ipso mota, & sopita sit, *Franzk. ad tit. de Ex-*

C

de Ex-

de Except. rei vend. & tradit. n. 6. quia in universum jus defuncti venditoris succedit, atque adeo ad præstandam evictionem est obligatus, accedit, quod nonnunquam pretium rei venditæ, vel meliorationes ex pretio redactæ in hereditate adhuc inveniuntur, æquissimum igitur est, ad eum incommodum, & onus evictionis spectare, ad quem commodum ipsius hereditatis pertineat l. 20. ff. de Reg. Jur. l. un. §. 4. C. de Caduc. tollend. Hactenus dicta etiam in filio locum habent, quando patri venditori succedit, quamvis rem venditam matris suæ fuisse dicat, nam ut auctor laudari, id est, ipsi ab emtore, si tertius rem emtam evincere velit, denunciari potest, & sic procul dubio ad Evictionem præstandam est obstrictus, qui autem ad eam obligatus est teste majori nostrâ, rem evincere, & controversiam possessori movere nequit l. 14. C. de Evict.

XIII.

Emtores tamen eligere possunt, utrum rem velint retinere intentione venditorum per Exceptionem doli vel rei venditæ elisa, an potius re ablata ad præstandam evictionem agere, & interesse suum consequi l. 17. ff. de Evict. quin & rem semel amissam, licet venditores domini facti possessionem ejus adipiscantur, ab iis Publicianâ in rem actione recuperare poterunt. l. 2. in fin. ff. de act. rei

rei vend. Nec obest, quamvis venditores Excep-
tionem Domini opponant, in jure autem Civili
Publiciana in rem actio non sit comparata, ut res
Dominis auferatur *l. fin. ff. de Public. in rem action.* Em-
tores enim hanc venditorum Exceptionem elident
replicatione rei venditæ & traditæ: Dolosè enim
agerent dum pretium & ipsam rem venditam si-
mul retinere vellent, cum tamen, se ad Eviden-
tiam præstandam obstrictos esse, optimè noverint,
& nosse debeant, nec rem venditam amplius in bo-
nis suis habeant, neque etiam adversus proprium
factum agere possint *l. 1. §. ult. l. 2. ff. de exc. rei,
vend. & trad. l. 4. §. 32. ff. de dol. mal. & met. ex-
cept.* Quin ex eo tempore ex quo venditores
dominium rei venditæ consequuntur, prior ven-
ditio confirmata, & verum rei venditæ do-
minium in emtorem translatum videtur *l. 46.
ff. de act. am. l. 11. §. 2 ff. de act. emt. & vend.
l. 42. ff. de V. sucap. & V. surp. l. 8. ff. de rebus Cred. vid.
Frantz. ad tit. de Except. rei vend. & trad. n. 7. & 8.
Struv. in syntagm. Jurispr. Exercit. 27. thes. 37. Brun-
nem. ad l. 2. ff. de Except. rei vend. & trad.* Quæ
hactenus de emtoribus primis, eorumque hæredi-
bus dicta sunt, eadem obtinent in emtoribus se-
cundis, qui rem à primis emtoribus titulo vendi-
tionis acceperunt, nam ab illis venditores primi
rem evincere nequeunt. Interest enim emtoris
C 2 primi,

primi, secundo rem non evinci. l. 3. init. ff. de except. rei vend. & trad. l. 4. §. 32. ff. de dol. mal. & met. except.

XIV.

Quemadmodum verò ipsi venditores, ita nec eorum fidejussores, qui de evictione præstandâ fidem suam pro venditoribus interposuere, rem evincere possunt, licet Domini sint, & jure proprio nitantur; Consenserunt enim venditioni & fidejussione ad evictionem præstandam sese obstrinxerunt, l. ii. C. de evict. Hering. de fidejuss. c. 20. §. 10. 78. Menoch. consil. 89. n. ii. libr. i. non tamen ante venditorem excussum evictionem præstant arg. Auth. præfente C. de fidej. Nov. 4. c. 1. Zoesius ad tit. de evict. n. 8. & seqq. Heredes autem fidejussoris rem venditam jure proprio evincere possunt l. ult. C. de evict. licet evictionis causa duret, id est, ab Emptore ad evictionem, præstandam efficaciter conveniantur, & sic in hæredibus fidejussorum Regula illa *Quem de Evictione tenet actio, adversus eum multò magis locum habet Exceptio*, notabilem limitationem patitur. Ratio autem diversitatis, quare non idem in venditorum hæredibus constitutum sit, in eo sita esse videtur; quod hæredes venditoris principalem contractus auctorem repræsentent, & præterea in hæreditate defuncti pretium rei vel verè, vel inutilitatem hæreditatis
versum

versum sæpius reperiant, quocirca ijs evincen-
tibus sive jure hæreditario, sive proprio agunt re-
ctè doli Exceptio obiicitur l. venditrici 3. C. de reb. alien.
non alien. Hæredes verò fidejussorum non succe-
dunt in locum principalis Auctoris, neque ullam
utilitatem ex isto fidejussionis negotio per-
cipiunt, quin potius fidejussoris hereditas cui
succedunt, fidejussione non auctior, sed deterior
fuit reddita, idcirco cum iis res suas vindicantibus
mitius agendum erit, neque opposita doli mali
Exceptio nocebit: vid. Menoch. consil. 89, n. 112. &
seqq. lib. 1. Pinell l. 1. C. de bon. mat. part. 3. n. 8. sic
porro magna est diversitatis ratio in fidejussori-
bus, eorumque heredibus. Illi enim fidem tri-
pliciter quasi interponunt, Etenim primum consen-
tiunt contractui emptionis venditionis, in quo fi-
dejussere, secundò se insuper pro evictione obligant,
& tertio eo ipso rem venditoris esse & cum illo se-
curè contrahi, neminemque futurum esse, qui
eam evincat, tacitè contestantur arg. l. 11. C. de evict.
Quæ sane consideratio in heredibus fidejusso-
rum, qui nihil fecerunt, aut dixerunt, imò totum
contractum ignorarunt, cessat. Satis igitur est,
si ex obligatione fidejussoriâ saltem ad evictionem
præstandam sint obstricti, res tamen suas, si ipsis
commodum videatur, sine juris impedimento ab
emtoribus evincere possint, per d. l. ult. C. de evict.

vid. *Mudæus ad tit. de act. emt. rubr. ut habere rem emtam liceat n. 16. & seqq. Franek. ad tit. de evict. n. 596. & 597.* Satis de personis, quæ, vincere possint, vel non possint hoc unico addito, quod etiam respublica ab evictione non repellatur *l. 23. C. de evict.*

XV.

Progrediendum est ad personas, à quibus res evincitur, & quibus evictio debetur. Hinc, Qui buscunque res titulo emtionis venditionis, vel simili oneroso comparata, & verè ac legitime evicta est, neque tempore contractus rem istam alienam fuisse noverunt, illis, eorumque hæredibus debetur & præstanda est evictio, vid. *l. 16. §. 1. l. 21. §. 1. l. 24. l. 35. pr. de evict. l. 3. l. 27. C. eod.* Tales sunt (1) Emtores *l. 1. & poss. ff. h. t.* (2) Permutantes, si res accepta ipsis evincatur *l. 1. §. 1. ff. de rer. permut. l. 1. C. eod. l. 29. C. de evict.* (3) Creditor, cui prædium pro soluto datum est, & postea evictum, nam hujusmodi contractus vicem venditionis obtinet, *l. 4. C. de evict.* (4) Si res inter duos communis divisa est, & unius portio evincitur, alter pro parte dimidia evictionem præstat *l. 7. C. Commun. utriusque judic. l. 1. C. eod.* (5) Hæres, cujus portio hæreditaria fuit evicta, petere potest, ut coheres possessionis evictæ detrimentum pro parte agnoscat *l. 14. C. fam. hercisc. jud. l. 25. §. pen. ff. eod.*

l. 66. §. ult. ff. de evict. (6) Cui res per transactionem
data evincitur, eo nomine evictionem jure exigit
arg. l. 33. C. de transact. (7) Conductor, si ante fini-
tum locationis tempus res conducta evincatur
l. 9. ff. locat. cond. jung. init. inst. de locat. & conduct. l. 2. ff.
eod. (8) Emphyteuta, si res in emphyteusin data ali-
ena sit, & verus dominus istam vindicet, præcipuè
quando domino directo pretii nomine aliquid so-
lutum fuit arg. §. 3. Instit. de locat. Cond. Caball. de e-
vict. §. 4. n. 55. Franzk. ad tit. de evict. n. 412. (9)
Vasallus, cui ob evictum feudum à domino evi-
ctio debetur, si res aliena ipsi ignoranti in feudum
data est 2. feud. 8. quia feudi concessio est quidem
beneficium, & donatio quædam, sed remunera-
toria, quæ vasallo ad hoc confertur, ut ipse ejusque
heredes Domino fideliter serviant 2. feud. 23. in fin.
(10) Maritus, quando res dotalis evincitur; titulo
enim oneroso & propter onera matrimonij do-
tem nanciscitur, ejusque fit dominus init. Instit.
quib. alien. lic. vel non lic. l. 7. init. l. 56. §. 1. l. 67. in
fin. ff. de jur. dot. l. 1. §. 1. l. 42. ff. de lur. dot. l. 13. §. 2.
ff. de fund. dot. l. 7. §. 3. ff. de lur. dot. l. 23. C. eod. l. 9. C. de
Rei vindic. obligationi enim dotis non fit satis, nisi
translatum fuerit dominium, & idè re dotali mari-
to ablatâ & evictâ perinde habetur, ac si nihil datum
esset; vid. l. 1. ff. l. 13. C. de lur. dot. arg. l. 16. ff. eod. verùm
infra eâ de re nonnulla quædam accuratius adde-
mus

mus (ii) Non tantum emtor primus, verum etiam emtor secundus cui res à primo emtore fuit vendita, & sic successor singularis, ille tamen adversus suum auctorem immediatum, & venditorem secundum, non primum, à quo res primum descendit, agere poterit, *arg. l. 22. §. 1. ff. de evict. Caballin. de evict. §. 3. n. 143. Dn. May. part. 5 decis. 50.* tum quia sunt duo diversi emtionis venditionis contractus, & sic etiam diversæ actiones, tum quia actio ex emto est personalis, ideoque adversus nullos alios, quam ipsos contrahentes, quique eos repræsentant, hæredes competit, non verò adversus singulares successores datur *l. fin. ff. de contrab. emt. vend.* nisi emtori secundo ab auctore suo, hoc est venditore secundo actiones, quas ipse adversus primum venditorem habebat, fuerint cessæ *l. 59. ff. hic Franzk d. tit. n. 549. & aliquot. seqq.* hoc enim casu statim adversus primum venditorem agere licet. Venditor autem secundus sive emtor primus non prius convenire potest auctorem suum, hoc est venditorem primum quam si Emtori secundo ad evictionem præstandam verè fuerit condemnatus. Ex eo enim tempore ipsi incipit aliquid abesse & damnum patitur, quod à venditore primo recuperare potest, *vid. l. 21. §. 2. in verb. cum igitur neque corpus neque pecunia emtori absit;* nisi jus sibi aliquod in re venditâ reservavit, neque rem
inte-

integram in emtorem secundum transtulit, hoc enim casu non tantum secundo, verum etiam primo emtori ratione juris sibi reservati actione instituta lis moveri videtur, & sic ipsius interesse incipit, atque adeo primum suum auctorem statim convenire potest *l. 22. §. 1. ff. b.*

XVI.

Hiscæ tamen enumeratis personis & similibus aliis non prius evictio debetur, utri ex majore allata constat, quam si res verè ac legitime fuerit evicta, antequam enim illud non fiat, licet res aliena vel saltem alteri obligata vendita sit, frustra tamen ad evictionem præstandam agitur, *l. 3. C. de evict. Anton. Gomez. tom. 2. Cap. 2. resolut. n. 39.* quia conditio scilicet evictio nondum est impleta. Tum autem res verè ac legitime evinci dicuntur, si (1) Res titulo emtionis vel alio oneroso acquisitæ in judicio auferantur ita, ut emtoribus, similibusque personis res acquisitas propter ipsam evictionem non habere amplius liceat, sed iis omnis spes habendi abscissa sit. *l. 21. §. 1. l. 34. §. 1. l. 35. ff. de evict. neque* (2) hoc per errorem, vel imprudentiam auctores judicis, vel etiam negligentiam & culpam emtorum, sed ex justâ & legitimâ causa, atque ad eodè jure fiat, *l. 24. l. 51. l. 55. init. l. 63. init. §. 2. l. 66. init. ff. de evict.* Injuria enim, quæ fit emtori à judice, non debet contingere auctorem & venditorem

D

ditorem

ditorem l. 5. princ. ff. de evict. ipsique emtores suæ
negligentiæ ac culpæ poenas luant.

XVII.

Perinde autem est, siue inter contrahentes
de evictione præstandâ expressè actum fuerit, si-
ve nihil sit eâ de re dictum, cum evictionis præsta-
tio sit de naturâ emtionis l. 6. C. de evict. l. 60. ff.
eod. l. ult. C. de Commun. rer. alien. Sichard. ad rubric.
C. de evict. n. 9. Wesenbec. in ff. hic n. 2. & 6. Iob. Fran-
cisc. Baltas. tit. 8. resol. 4. n. 4. ita, ut utroque casu
venditor teneatur ad pretium rei evictæ, & inter-
esse, l. 70. ff. de evict. Et hæc aded vera sunt, ut
licet expressè conventum sit, ne evictio præstetur,
ad pretium tamen restituendum rectè convenia-
tur venditor; Neque enim bonæ fidei contra-
ctus hanc conventionem patitur, ut emtor rem
amittat, & venditor pretium retineat, quia hic
nullum justum titulum ad retinendum pretium
habêt l. ex emto II. §. fin. ff. de lact. emt. Caballin. de
evict. §. 2. n. 23. & §. 5. n. 25. Anton. de Burgos. in c.
fin. X. de emtione n. 15. Covarruv. lib. 3. Resol. c. 17.
n. 2. Molin. D. 380. n. 18. nisi forsan expressè con-
ventum sit de pretio non restituendo; illa enim
conventio valet, nec resultat hoc casu aliqua in-
iquitas, quia tum emtor videtur emere dubi-
um eventum, spem, & fortunam, ut sit in eo, qui
jactum retis emit à piscatore, qui tenetur piscatori
sol.

solvere pretium, licet hic nil ceperit *d. l. ii. §. si. de act. emt. Vend. Iob. Schneidev vin. in § actionum sub rubr. de act. ex emt. n. 43. instit. de act. Carpzov. part. 2. jurispr. for. Constit. 34. def. 22. n. 6. & 7.*

XIIX.

Emtor demum, qui sciens rem alienam vel alteri obligatam emit, uti in majori dictum fuit, non potest agere de evictione, licet res evincatur, *l. 27. C. de evict. l. 7. in fin. C. commun. utriusque judic. nam videtur rem emere, qualis est, & justam suæ negligentia & malæ fidei pœnam luit, dum emit rem, quam novit esse alienam, & jure evinci posse, aded, ut ne pretium quidem repetere posse, communiter Doctores velint, nam cum uterque malâ fide agit, melior est causa possidentis l. 8. ff. de condict. ob turpem causam nisi expressè de evictione conventum fuerit d. l. 27. C. de evict. l. 7. in fin. C. comm. utriusque judic. Covarruv. lib. 3. resol. cap. 17. n. 2. Gomez tom. 2. c. 2. n. 42. Fr. Caldas de emt. cap. 11. n. 6. Tiraquelk. de Retract. consang. §. 12. Gloss. 1 n. 11. Hartm. Pistor. part. 2. quest. 10. n. 22. dissentit tamen ex rationibus sic satis speciosis Perezjus ad tit. C. de evict. n. 24.*

XIX.

Hoc adhuc monendum erit, antequam à personis, quibus evictio debetur, abeamus quod, licet emtoribus non prius evictio præstanda sit, quam

quàm res verè & actu fuerit evicta, illi tamen, si in
limine contractus evictionis periculum immine-
at, pretium nondum solutum retinere, seque ad-
versus venditores exceptione imminentis evicti-
onis tueri possint, donec venditores evictionis
nomine satis dederint, *l. 24. C. de evict. l. 18. S. 1. ff.
de peric. & comm. rei vendit.* cum aliàs venditor ad
satisfactionem non teneatur, sed ad nudam evi-
ctionis præstandæ promissionem sit obligatus *l. 4.
37. pr. & l. 56. pr. de evict. vid. Hartm. Pistor. part. 3.
quæst. 5. n. 15. Carpz. part. 2. Constit. 34. Defn. 31. Pe-
trus Heigius part: quæst. 16. Gomez. tom. 2. c. 2. n. 39.
Cardin. Tuschus Conclus. 360. lit. E.* Tria autem ad
hoc requirit *Franzkus ad tit. de evict. n. 715. & seqq.*
(1) Ut lis pretio nondum soluto sit mota realiter.
d. l. 24. [2] Serio non per calumniam & actorem
subornatum [3] Ex jure & causâ præsentî, non
verò conditionali ac futurâ: tum enim nondum
immineret evictio *Carpz. d. part. 2. Constit. 34. def.
32. 33. 34. Iacob. Menoch. de arbitrar. judic. quæstion lib.
2. cent. 3. cas. 224. n. 5.* Tantum etiam de personis,
quibus debetur evictio.

XX.

Restat, ut illas personas consideremus, quæ
evictionem præstant. Quicumque itaque rem ti-
tulo venditionis, vel alio oneroso, & quidem no-
mine proprio, non alieno, aut ex necessitate of-
ficii

ficii in alios transtulerunt illi eorumque heredes,
 & qui pro iis fidem interposuerunt, ad evictio-
 nem præstandam sunt obligati, *tot. tit. ff. & C. de
 evict. l. 50. ff. de evict. l. 3. 7. 8. II. C. de evict. l. 49. ff.
 famil. hercisc. judic. inque legibus vocantur aucto-
 res, l. 65. § 2 ff. de evict. l. 3. 7. 8. 9. 10. 14. & alibi C. de
 evict. si foeminæ, sunt auctrices, l. 16. C. b. t.* Atqui
 tales sunt (1) Venditores, *tot. tit. ff. & C. de evict.* (2)
 Permutantes, *l. 29. C. b. t.* (3) Debitores, qui in solu-
 tum dederunt rem, *l. 4. C. b. t.* (4) Dividentes here-
 ditatem, *l. 66. §. ult. ff. h. t.* (5) socii rem commu-
 nem dividentes, *arg. l. 1. & 7. C. comm. utriusque ju-
 dic.* (6) Transigentes, *l. 33. C. de transactionibus.* (7)
 Locatores *l. 9. ff. locati cond.* (8) Dominus directus
 Emphyteuseos, si rem alienam in emphyteusin
 concedit, quæ postmodum evincitur. *arg. §. 3. inst.
 de locat. cond. l. 9. ff. locat. cond. Caballin. de evict. §.
 4. n. 55. licet ab initio nihil ab Emphyteutâ pretii
 nomine domino solutum sit, quia propter annui
 canonis solutionem pro donatione non habenda
 est, Franzk. ad tit. de evict. n. 412.*

XXI.

(9) Dominus feudi, quando res in feudum
 concessa evincitur, tum quod feudum non semper
 gratis, sed nonnunquam pecuniâ, vel aliâ re inter
 veniente constituatur, *2. feud. 12. 1. feud. 40. §. 2. 2. feud.
 22. §. si quit & alibi.* tum quod ob remunerationem

præstitæ operæ nō ita raro conferri soleat, tum de-
denique, quod feudū gratuitō concessum non est
beneficium absolutē dictum, sed per contractum
feudalem vasallus obligatur ad fidem & servitia,
præcipuè militaria domino exhibenda, quæ hodie
Germanicè vocari consuevere, *die Ritterdienste* 2.
feud. 3. in fin 5. pr 6. 7, 19, 20, 21. Mirum igitur non
est, si viceversâ dominus ex contractu feudali, quia
est Δικλευρ, vasallo obstrictus est ad utile rei
feudalis dominium in ipsum transferendum, vel
saltem præstandum, ut vasallo rem habere liceat,
Feudo itaque evictō, quia dominus obligationi
suæ haut satisfacit, ad præstandam evictionem
est obstrictus, 2. *feud. 8 & 25. Rosenthal. cap. 4. con-*
clus. 11. n. 1. modo ignoranti vasallo res aliena in
feudum data sit; scienti enim dominus evictio-
nem non præstat, nisi speciali pacto sibi prospe-
xerit 2. *feud. 8. Rosenthal. d. conclus.*

XXII.

Hæc autem duo requiruntur, ut dominus
feudi ad evictionem vasallo præstandam cogi
queat, (1) Vt vasallus de feudo interpellatus do-
minum vocarit *b. e.* litem ipsi denunciaverit, 2.
feud. 25. [2] Vt res sententiâ judicis, & jure peti-
toris, non verò per injuriam, quæ vasallo facta
dominum feudi contingere nequit, *arg. l. 51. ff.*
de evict. neque per culpam vasalli, quam ipse luat
arg.

arg. l. 59. l. 63. §. 2. ff. de evict. evicta fuerit, 2. feud.
25. Franzk. n. 600. & seqq. Ast evictio, ad quam
dominus vasallo re evicta est obstrictus, jure feu-
dali in eo consistit, non, ut dominus interesse una
cum pretio quemadmodum jure civili, venditor
tenetur: l. 9. l. 17. l. 25. C. de evict. vasallo restituat,
sed vel feudum aliud ejusdem æstimationis, cu-
jus feudum evictum erat tempore rei judicatæ,
vasallo concedat, vel pretium fundi evicti, ut a-
liud comparatur, numeret 2. feud. 8. & 25. Hoc
enim modo, si loco evicti feudi vel aliud datum,
vel nummis comparatum est, utriusque domini
ac vasalli jura manent integra, & vasallus verum
interesse consequitur, quod *Modestinus Pistor vol.*
2. conf. 46. n. 35. ita Germanice profert. Und darüm/
dieweil die investituren feudorum nicht so gar sim-
plices donationes sind / und doch auch einem Kauf-
fe nicht allenthalben gleich / so ist auch in denen geschrie-
benen Lehenrechten nicht simpliciter verordnet / daß
ein Lehen-Herr der Gewehr halber / gleich wie ein
Verkäufer ad pretium & omne interesse soll ver-
pflichtet seyn / sondern allein dazu / daß er den Lehen-
man mit andern Gütern / die nicht weniger / denn die
zu Recht verlohrenen Lehengüter / zu der Zeit / da sie
evinciret gewesen / gegolten / wert seind / vergleiche /
oder ihm für den rechten wert Geld gebe / dasselbe
wieder an Lehen zu legen, *vid. idem vol. 1. conf. 6. n. 26.*
XXII I.

XXIII.

(10) Pupilli, quorum bona per tutorem legitimè vendita, ita tamen, ut, si tutor solvendo sit, eatenus tantum utilis actio adversus eos ad evictionem præstandam competat, quatenus pretium in rationes, seu utilitates eorum versum fuit: si verò non sit solvendo, in solidum obligentur: *quæ enim bonâ fide à tutore gesta sunt, rata habentur ex Rescriptis Imperatorum: nam & inutile esset pupillis, si administratio tutorum non servaretur.* Absque hoc enim si esset, nemo cum iis contraheret, & sic quodam modo commercium in pupillorum negotiis tutoribus interdiceretur. *l. 4. §. 1. ff. de evict. l. 12. §. 1. ff. de Admin. & peric. tut. l. 24. §. 1. ff. de minor.*

(11) curator minoris, prædiū alienans vel vendens, & evictionis nomine sua non verò minoris prædia obligans. *l. 9. C. de præd. & aliis. reb.* Licet enim venditio contra leges facta nulla sit *arg. l. 5. C. de Leg. & sic cum principale non subsistat, nec accessorium subsistere posse videatur, l. 178. ff. de Reg. jur.* tamen, quia hoc pignus minorem non obligat, & præterea hic obligatio naturalis subsistere videtur, pignora à curatore evictionis nomine data subsistunt, licet contractus principalis invalidus sit, ac nullus. *arg. §. 1. Instit. de fidejuss. l. 5. & 14. §. 1. ff. de pignor. Canisius in capit. accessorium 42. de R. l. in 6to.*

XXIV.

XXIV.

(12) Iudæi, quia in illis Germaniæ locis, ubi tolerantur, nisi specialis constitutio contraria adfit, jure communi utuntur, & secundum leges Romanas judicantur atque excipiunt. *l. Iudæi. 8. C. de Iudæis. Carpzov in Iurispr. for. part. 4. constit. 32. def. 22.* Jure tamen Saxonico Iudæi de evictione non tenentur. *libr. 3. Landrecht. art. 7. & Weichbild art. final. in gloss. 8. zum ersten / ubi additur ratio, damit ein man verlohren Sic desto gewisser findet / und ihm desto eher wieder wird / darumb gönnet mans dem Jüden / daß er seine verkauffung niemand gewehren darff. eadem ratio habetur in gloss. Germanic. libr. 3. Landrecht. art. 7.*

XXV.

Et hoc fortassis instituto auctores Iuris Saxonici Christianos ab emtionibus cum Iudæis contrahendis absterre voluerunt, vel saltem eos magis cautos reddere, ne temerè fidem illorum sequantur, haut inscii, nullum ipsis regressum adversus illos, tanquam auctores competere posse. Eandem differentiam inter jus civile & Saxonicum agnoscunt. *Reinhard. part. 1. diff. jur. comm. & Saxon. 14. & 15. Coler. Decis. 26. n. 2. Berlich. part. 1. practicab. conclus. 24. n. 71. Frantzkius* tamen hanc juris Saxonici sanctionem ab usu recessisse, aut in foro etiam Saxonico attendendam non esse statuit, tum,
 E quod

quod malitiis Iudæorum indulgendum non sit, nec illis præ Christianis, quorum bonis insatiabili cupiditate instar vulturum inhiant, prærogativa aliqua concedenda, tum, quia per reformat: Polit. de Anno 1548. expressè sublatum est, quod in jure Saxonico circa res furtivas à Iudæis emtas ab illis non nisi refuso pretio restituendas constitutum erat Landrecht lib. 3. art. 7. vid. d. Reformat. Polit. tit. Von Jüden / und ihren Bucher 20. in verbis, daß auch alle und jede Oberkeit / unter der die Juden gefessen / nothwendigs / und gebührlichs einsehen thue ic. daß sich die Jüden der gestohlenen oder raublichen Haab und Güter zukauffen enthalten / oder so die hinter ihnen befunden / daß dieselbe dem jenigen / dem sie zuständig / und dasselbe darthun und beweisen würde / ohne alle entgeltnis wieder zugestellet / und gefolget werden. jung. Reformat. Polit. de Anno 1577. tit. von Jüden und ihren Bucher 20. §. 2. Vbi etiam arbitrariè puniendos esse, si scienter res furtivas, vel vi ablatas emerint, sancitur.

XXVI.

(13) Heredes venditorum, & aliorum auctorum l. 9. l. 21. l. 23. C. de evict. l. 51. §. 3. ff. eod. sive tertius, sive ipsi rem actu evicerint: In arbitrio enim emtoris est positum, utrum malit illos vendicantes exceptione repellere, an evictionem pati, & contra eos de evictione agere l. 73. ff. h. quia con-

contractum defuncti, cui successerunt, revocare nequeunt. *l. 14. C. de R. V.* Quod si plures sint, omnes in solidum emtori de eviçtione tenentur, & conveniendi sunt, ita, ut omnibus emtor denunciare debeat, alioquin non habet regressum contra illos, quibus non est denunciatum, nec tamen defensio pro parte admittatur *l. 62. §. 1. ff. h. t.* quia obligatio de eviçtione est una, & sic in jure nostro individua, continet enim in se factum aliquod individuum, defensionem scilicet emtoris *l. 3. ff. de V. oblig. ad l. 4. §. fin. l. 85 §. 3. l. 139. in fin. ff. eod.* quam universi heredes in solidum suscipere tenentur, unus verò ex illis audiendus non sit, si pro suâ parte hereditariâ defendere velit. *Frantz. ad hunc tit. n. 574. Struv. ad eundem Thes. 26. Brunnem. ad l. 62. §. 4. ff. h. n. 3.* nisi unus ex his communi nomine liti se substituerit, reliqui vero, quibus denunciatum est, de industria in iudicium non venerint, tum ille unus propter denunciationis vigorem & prædictam absentiam omnibus vincit aut vincitur. *l. 62. §. 1. ff. de eviçt.* alia est ratio heredum emtoris, quorum quilibet ob suæ partis eviçtionem pro suâ tantum portione agit. *l. 4. §. 2. ff. de V. O.*

XXVII.

(14) Coheredes, qui rem hereditariam Creditori à defuncto obligatam vendunt, licet unus heredum suam debiti portionem solvat, atque

E 2

adco

adeò pignus pro parte suâ liberet, tamen, si Creditor rem evincit propter partem debiti non solum, ab emtore conveniri potest, idq; placuit propter indivisam pignoris causam, qui postmodum evictione pro coheredibus factâ adversus eos de indemnitate iudicio familiæ herciscundæ agit. *l. 65. ff. h. Gail. lib. 2. observ. 14. n. 3. Iob. Frid. Baltbas. tit. 8. resolut. 2. n. 8.*

XXIIX.

(15) Fidejussores, à venditore hoc nomine dati: *l. 40. l. 41. §. 2. b. t. l. 7. §. l. 18. C. eod.* qui hâc de causa auctores secundi in *l. 4. ff. b. appellantur*, etiam si iis non sit denunciatum ab emtore, ut iudicio adessent, quia sufficit Principali debitori fuisse denunciatum, *l. 7. & 8. C. b.* Obligatio enim fidejussoris de pender ex obligatione rei principalis, non tamen prius conveniuntur, quàm excusso venditore, tanquam reo principali: (16) Heredes fidejussorum *l. 18. C. b. jung. l. ult. C. eod.*

XXIX.

Qui verò vel nomine alieno vel ex necessitate officii rem titulo oneroso in alios transtulerunt, illi ad evictionem præstandam non tenentur, talis est, (I) Creditor rem oppignoratam vendens: *l. 1. & 2. C. Creditor. evict. pign. non debere*, neque enim suo, sed debitoris nomine, & tanquam procurator ejus id facit, *Mol. Tract. 2. D. 538. n. 28.* eaque distractio in utilitatem debitoris, & ad eum liberandum maximè

maximè tendit, idque vocatur in legibus Iure Creditoris vendere l. II. §. 16. ff. de act. emt. vend. nisi forsan Creditor (1) distrahendi potestatem non habuit, vel quod ipsi res non fuerit obligata, vel quod eadem res aliis fuerit oppignorata, qui jus pignoris potius, & antiquius in re venditâ habuerunt, l. II. §. 16. ff. de act. emt. vend. vel (2) evictio- nem promisit, l. I. & 2. C. Cred. evict. pign. vel (3) dolo malo sciens, prudensque, rem alienam, nec sine vitio esse, eam vendidit, quia dolus in omni contractu est præstandus, nec ipsi prodesse debet, l. II. §. 16. ff. de act. emt. vend. l. 2. C. Cred. evict. pign. Trentacin. lib. 3. Resolut. tit. de emt. resol. ult. n. 4. Con- clus. sec. Mol. tr. 2. D. 538. n. 28. tenetur tamen em- tori actionem suam, quam adversus debitorem ha- bet, pignoratitiam nimirum contrariam præstare, quin & Istrumenta crediti edere, & ita probare, se Creditorem esse, l. 38. ff. de evict. Bald. Salic. ad l. I. C. Cred. evict. pign. non debere. Trentacin. resolut. ult. de emt. n. 3. Roderic. in tract. de annuis censib. l. 2. quæst. 16. n. 23. Iob. à Sande tract. de Cess. c. 6. n. 4.

XXX.

(II) Apparitores, aliique rei judicatæ execu- tores, qui Prætoris & Magistratus, auctoritate pignora distrahunt. Ex necessitate enim officii id faciunt, quod nemini damnosum esse debet, præ- terea que inter officium suscipientis, & voluntatem di-

strabentis multum interest, l. 49. ff. famil. hercis. jud. l. 50. ff. de evict. vid. etiam l. 13. C. de evict. l. 7. ff. testam. quemadm. aperiantur, l. 61. S. 5. ff. de furt.

XXXI.

(III) **Tutores & Curatores:** Cùm enim tutoribus & curatoribus ex officii necessitate incumbat res pupillorum & minorum administrare, *l. 1. in princ. & §. 1. l. 10. l. 33. ff. de peric. & administr. tut. generaliter constitutum est, quod quidquid ob administrationem illam eorum nomine gesserint, non illos, sed pupillos & minores finito præcipue tutelæ & curatelæ officio obliget, l. 26. in fin. C. de Admin. tut. l. 14. C. eod. l. 1. l. 3. C. quando ex fact. tut. l. 5. §. 18. ff. de Instit. act. nolebant enim sese obligare, atque ad id, quod actum est extra intentionem eorum qui gesserunt, extendendum non est, l. 19 in princ. ff. de reb. Cred. vid. Iobaun. Gutierrez. tract. de tut. part. 2. cap. 13. n. 1. nisi Curator minoris prædia vendat & evictionis nomine sua prædia obliget. l. et si 15. C. de præd. & aliis reb. min. Hoc enim casu, quamvis tota venditio contra leges esset facta, & sic ipso jure Civili nulla, tamen quia minor ex suo contractu naturaliter obligatur, l. 1. ff. de Novat. pignus curatoris huic contractui accedens subsistit, l. 5. & 14. ff. de pign. C. accessorium 42. de R. I. in 6to. Gutierrez. alleg. loc. num. 2.*

XXXII. Pro-

(IV) Procuratores, qui res verè ad dominum & principalem pertinentes domini nomine alienant, *arg. l. 16. §. 1. ff. de nog. gest.* Nam non suo, sed alieno nomine & ratione officii id agunt, *l. ult. ff. de instit. act.* ex quo enim semel negotium susceperunt, non minus illis, ac tutoribus necessario omnia ea facienda sunt, quæ ad viri boni officium in tali munere gerendo pertinent, *l. 8. §. fin. l. 33. §. 3. & 4. l. 35. §. 4. l. 43. §. 6. & passim. ff. de procur. & sic inter illos, & tutores, quoad hanc materiam vel plane nihil, vel parum videtur intercedere discriminis, Boer. decis. 273. n. 5. Gutierrez d. part. 2. de tut. c. 13. num. 6. & seqq.* ille tamen procurator, qui fidem suam propter eviçtionem proprio nomine expresse interposuit, etiam deposito officio tenetur, nam adstringendo fidem propriam terminos officii sui excessit, *Mench. conf. 58. n. 57. Cavalcanus de tutor. n. 172. Iob. à Sande lib. 3. tit. 7. dec. 1. alias extra casum jam propositum non tenetur, arg. l. fin. ff. de Instit. quia institor, & procurator ad paria judicantur, Koppen. decis. 21. n. 4.*

(V) Institores nomine patroni negotiationem exercentes, quia contemplatione officii contrahere videntur *l. fin. ff. de inst. act.* deposito igitur officio non tenentur, durante verò illo conveniri

veniri possunt, salvo tamen contra dominum regressu, arg. l. 7. §. 11. ff. ad Scutum Maced. l. 6. §. 1. ff. de neg. gest. Dn. Ves. in parat. n. 6, Dn. Hahn. ibid. n. 6. Carpzov. in Iurispr. for. part. 2. Const. 20. def. 14. Dn. Lauterbach. ad tit. ff. de Inst. act. th. 9 Gutierrez. de tut. part. 2. c. 13. n. 7. nisi specialiter & proprio nomine se obligarint, seu fidem suam adstrinxerint, quo casu finito etiam officio, obligantur arg. l. 19. §. tabernæ 2. ff. de Instit. act. Gutierrez. alleg. loc. n. 8. Iohann. à Sand. lib. 3. tit. 7. dec. 1. Quæ hæcenus de tutore, curatore, procuratore dicta sunt, Doctores ad quosvis ex officio vendentes extendunt, Caball. de evict. §. 5. n. 61. Berlich. p. 1. Concl. 24. n. 73. & seqq. quales etiam sunt proxenæ, die *Meßlers* / ipsi enim non obligantur, sed eorum facta præstare tenentur, qui illorum fidem in vendendis rebus fuerunt secuti, nisi forsan dolosè agunt, ex quo ipsi conveniuntur arg. l. 2. ff. de proxenet. quin & huc pertinere videntur mulierculæ istæ; quæ hodie nomine alieno vestes aliave distrahere solent, & Germanicè vocantur die *Kleidersellerschen*. Ipsæ enim ad evictionem præstandam vix sunt obligatæ, sed illi potius, ad quos res venditæ pertinebant. Atque ita absolvimus personas in evictionis materiâ considerandas.

XXXIV.

Transgrediendum nunc erit; ad *Res & Negotia* in quibus evictio præstanda est, & primum de *Rebus*,
Quæ-

Quæcunque igitur res in contractum emtionis
venditionis, vel aliud negotium onerosum dedu-
cuntur, illarum rerum præstanda est Eviçtio. Ini-
quum enim esset, emtorem, similesque personas,
& rebus emtis, si ab ipsis evincantur, & pretio
dato carere, contra venditorem pretium acce-
ptum sine ullâ causâ retinere posse: fieret enim
contra naturalem æquitatem cum alterius damno
ac injuria locupletior. *l. 14. ff. de Condict. indeb. l. 206.*
ff. de Reg. jur. In hisce igitur rebus, contractu em-
tionis, similiq̃ue oneroso comparatis, & postmo-
dum ab emtoribus in iudicio ritè ablati, æquissi-
mum est, eviçtionem præstari, hoc est, damnum
ex illarum eviçtione in emtores similesque perso-
nas redundans resarciri. Quænam vero res in
contractum emtionis simileq̃ue negotium veniant,
id nobis monstrat Jurisconsultus Paulus in *l. 34. ff.*
de contrab. emt. Omnium enim rerum, dicit, *quas quis*
habere, vel possidere, vel persequi potest, venditio rectè
fit. Harum igitur rerum præstanda est eviçtio,
sive illæ sint corporales, sive incorporales, mobi-
les, vel immobiles, principales, vel accessoriæ.
l. 7. 18. l. 16. l. 64. ff. b. l. 33. ff. de Edil. edict. In hisce,
tamen posterioribus non aliter eviçtio debetur,
quam si de iis nominatim hoc conventum fuerit.
arg. l. 26. 27. ff. de act. emt. l. 16. ff. de eviçt. l. 31. §. ult. l. 32.
ff. de Edil. edict. Nicol. Burgund. de eviçt. c. 46. n. 5.

F

XXXV. Et

XXXV.

Et ut rem accuratius perpendamus, potest evinci vel totum, vel pars, utroque casu eum regressum habet in venditorem. Et quidem si pars evincatur, siquidem pro indiviso, ut si media, vel tertia pars rei fuerit ablata, pro quantitate evictæ partis, evictio debetur: sin pro diviso, hoc est certus locus fuerit evictus, non sola quantitas rei evictæ attenditur, sed simul pro bonitate loci regressus erit. *Quidem enim, ait, Ulpianus, si, quod fuit in agro pretiosissimum, hoc evictum est, aut quod fuit in agro vilissimum? æstimabitur loci qualitas, & sic erit regressus. In l. 45. ff. de evict. vid. l. 46. ff. de solut. P. Gregor. libr. 2. Syntagm. cap. 22. n. 6. Perez. in C. h. t. num. 18.* Hoc insuper in parte rei evictâ requiritur, ut de evictione agi possit, partem illam revera sub toto contineri, vel illi cohærere, adeoque verè constituere partem, uti vocant, integram: Ex quo apparet, si fructus ex fundo vendito percepti, vel partus pecoris evincatur, actionem de evictione locum non habere. *l. 42. l. 43. ff. de evict.* Neque enim fructus fundi, neque partus pecoris venditus fuit, sed ipse fundus, ipsumque pecus: & istæ res sub toto vendito tanquam pars vera non continentur, neque ipsi cohærent.

XXXVI.

Sic domo vel navi venditâ singuli lapides,
ligna

ligna, tabulæ, & reliqua cæmenta, non videntur esse
vendita, neque etiam partes integrales domus vel
navis vendita constituant, adeo, ut ne quidem ab
emptore possideri dicantur. *l. 23. ff. de V. sucap. & usurp.*
ideoque illis evictis ad evictionem agi non potest.
l. 36. ff. de evict. Parte tamen integrali evictâ, uti sunt
fundamentum, tectum, parietes alicujus domus,
in navi sentina, prora, puppis, malus, vela, guber-
nacula, quia sunt quasi membrana navis. *l. 44. ff. de evict.*
ad evictionem agitur actione ex emto. *arg. d. l. 44.*
ff. de evict. Franc. Cald. de emt. vend. c. 31. n. 52. *l. 23. ff.*
de V. suc. & V. usurp. Bachov. ad Treutl. vol. 2. d. 2. th.
6. lit. b. Frantz. ad tit. de evict. n. 159. & 160. Distin-
guunt tamen Doctores ulterius inter partes homo-
genas sive simila-res, & heterogeneas seu dissimila-
res, illas vocantes, quæ ejusdem sunt cum toto no-
minis, uti quælibet particula fundi, aquæ, auri,
argenti: hæc vero appellantes, quæ diversum à
toto nomen habent, ut manus non est homo, sed
pars hominis heterogenea. *l. 56. §. 2. ff. de evict.* ita ma-
lus est pars navis, non tamen nomen navis habet.
l. Scapham 44. ff. de evict. l. 242. ff. de V. signif. Parte igitur
homogenâ evictâ, & evictione per stipulatio-
nem promissâ, saltem locû habere dicunt actionem
ex stipulatu, non verò si idem in heterogenea parte
factum fuerit, tum enim solum actionem ex emto
competere volunt. *arg. l. 56. §. 2. ff. de evict.* idque ex

b. l. Mart in. & Cujac. probant. Backov. in Trentl. d. disput. 2. th. 6. lit. D. & ad VVes. n. 9. Caldas. de emt. vend. c. 21. n. 49. Frantzk. de evict. n. 151. & seqq. Sed hanc subtilitatem inter tricas inutiles referri posse, videtur haud abs re monere Brunnemannus ad l. 56. §. 2. ff. de evict. nec hodie discrimen illud in foro observari, cum illo statuere non dubitamus. Parum enim quoad ipsam partem evictam interest, utrum parte heterogeneâ evictâ, per actionem ex stipulatu, an vero per actionem ex emto evictio petatur. Brunnem. ad l. 36. & l. 56. §. 2. ff. de evict.

XXXVI.

Quod si grex, bibliotheca, vel alia similis Universitas corporum, quam vulgo facti vocant (quia ex destinatione patrum familias, atq; adeo ex facto hominum initium sumunt) vendatur, distinguendum est, utrum simpliciter & per aversionem ejusmodi venditio facta, an vero in singula corpora certum pretium constituatur, *arg. l. 35. §. 6. ff. de contrab. emt. vend.* Priori casu, licet unum & alterum corpus ex istâ universitate evincatur, modo per evictionem factam ita non deminuat, ut nomen universitatis v. gr. Bibliothecæ, vel gregis amittat, *arg. l. 3. ff. de Abigeis. l. 22. de legat. 1. evictio non est præstanda.* Neque enim singula corpora, sed universitas simpliciter fuit vendita: accedit, quod illa maneat, licet plura corpora ei accedant vel decedant

l. 76.

l. 76. ff. de judic. l. 21. & seqq. de legat. 1. l. 13. ff. de pignor.
Posteriori verò casu, quia in singula corpora cer-
tum pretium est constitutum, singulorum corpo-
rum præstanda est evictio. arg. d. l. 35. §. 6. ff. de con-
trah. emt. l. 1. §. 3. ff. de R. V. Frantz. de evict. n. 165, 168.
169. 170. & seqq. vid. Costal. in l. 1. in fin. h. tit. Sichard.
in rubric. C. n. 10. & l. 1. C. eod. n. 5.

XXXVII.

Ex hisce omnibus patet, evictionem tam
in integris rebus, quam earum partibus evictis
præstandam esse, ubi tamen ingens adhuc videtur
superesse scrupulus, an parte rei evictâ totus con-
tractus resolvatur, & sic non tantum ratione par-
tis evictæ, sed totius rei venditæ, præsertim cum
partem non evictam emtor retinere nolit, præstan-
da sit evictio. Et ad emtoris intentionem atten-
dendum esse arbitraret, utrum domum vel similem
rem, puta fundum, non aliter, nisi totam emtorus
fuiisset, nec ne. Si de illo ex circumstantiis verifi-
militer constat, æquum est, ut venditor, vel totam
rem, vel unâ cum toto pretio omne interesse præ-
stet. Si de hoc: sufficit, modo evictæ partis nomine
emtorem indemnem servet; ad exemplum ejus, qui
servos, comædos, vel par mulorum, vel jugum boû
vendidit, ubi, quia constat, emtorem non nisi omnes
conjunctim sumtos comparaturum fuisse, si una res
propter vitium redhibitionem admittit, omnes

redhiberi, nec à venditoribus repudiari possunt.
l. 34. §. 1. cum leg. seq. junct. l. 38. in princ. vers. qui jumenta
& §. ult. ff. de Edil. edict. Franzk. n. 183. & seqq.

XXXIIX.

Nonnunquam accidit, ut res litigiosa alicui vendatur, utrum igitur ejus nomine præstanda sit evictio, inter Doctores quæri solet, & distinctione quadam adhibita, quæstio illa decidenda erit, Aut enim uterque contrahens scivit illam rem fuisse litigiosam, aut venditor solum, emtore id ignorante. Si prius, emtor non solum rem litigiosam redhibet, verum etiam pretio soluto, quod fisco cedit, privatur: Venditor autem pretium acceptum induplum fisco persolvere tenetur; uterque enim delinquit, & fraudis conscius est, ergo uterque etiam jure meritoque punitur. *l. ult. init. C. de litigios. sin posterius, irrita quidem est alienatio, ita ut venditor rem litigiosam recipiat, is tamen emtori acceptum pretium una cum tertia illius parte restituere est obstructus. Iustum etenim est propter dolosam mentem & absconditam machinationem, cum non emtori manifestaverit, rem in judicium deductam esse, in tertia parte eum puniri. l. ult. §. 1. C. de Litig. Iob. Baptist. Cost. de Fact. scient. & ignorant. cent. 1. distinct. 93. n. 7. & 8. M. Anton. Peregrin. de Iur. Fisc. lib. 4. tit. 6. Caspar. Klockius in tract. de Arar, c. 125.*

XXXIX.

XXXIX.

Ad res corporales, quarum præstanda est evictio, feudum emtum insuper referendum est. Duo autem hic attendenda sunt, Primum est, num quis ignorans, an sciens feudi qualitatem, rem feudalem emerit, Secundò, utrum feudi alienatio illicitè, an licitè facta sit. Si ignorans quis rem feudalem emit, venditor, vel ejus hæredes indistinctè de evictione tenentur. *arg. 2. feud. 8. init. 2. feud. 55. init. in verb. emtori bonæ fidei, Rosenth. de feud. c. 9. membr. 1. conclus. 1. n. 3. Matth. de Afflict. ad c. 8. 2. feud. etiamsi de evictione in emtionis contractu nihil dictum fuerit. arg. l. 66. init. de contrah. emt. vendit. l. 6. C. de evict. nisi forsan in illicitâ feudi alienatione expressè conventum fuerit, ne venditor de evictione teneatur, tum enim venditor ne quidem pretium retinere potest, sed emtori ad illud recuperandum actio ex emto competit. 2. feud. 55. init. in verbis: emtori bonæ fidei, Rosenthal. de feud. allegat. loc.*

XL.

Posteriori casu si sciens quis feudi qualitatem emat, tum iterum hoc fit aut consensu domini, & licitè: atque hoc casu iterum evictio præstanda est, modo inter contrahentes ita conventum fuerit *arg. l. 27. C. de evict. l. 7. C. Comm. utriusq. judic. l. ult. C. comm. de legat. Hartm. Pist. libr. 2. quest. 10. n. 17.*

n. 17. & seqq. Berlich. part. 2. conclus. 62. num. 15. & 17.
Aut illicitè, ac citra domini consensum, & evictio
non debetur, 2. feud. 55. init. Carpzov in Jurisprud.
Forens. libr. 2. constit. 49. def. 10, n. 11. etiamsi emtor
evictionem sibi expressis verbis à venditore stipu-
latus fuerit. 2. feud. 55. Hæc enim emtio venditio
est ipso jure nulla, & consequenter nullum quoque
est, atque inutile, quod huic contractui adjicitur.
l. 5. C. de leg. Carpz. d. loc. imputet autem sibi emtor,
quod ejusmodi rem emerit, cujus alienationem
de jure sciebat, aut scire debebat, sine consensu
domini fuisse prohibitam. Accedit, quod lex
feudalis hujusmodi alienationem ad eò prohibeat,
& propter singularem domini contemptum red-
dat irritam, ut venditor ne pretium quidem retine-
re, aut emtor recuperare possit, sed utrique tan-
quam indignis auferatur & fisco applicetur. Cum
aliàs, si quis sciens rem allodiam alienam emat, &
sibi evictionem stipuletur, stipulatio ad minimum
valeat, quoad effectum recuperandi pretii. l. 27. C. de
evict. l. 7. C. Comm. utriusq. judic. quia hæc venditio jure
subsistit, & nullam pœnam meretur, l. rem alienam 28.
ff. de contrah. emt. Hoc adhuc tribus verbis tangen-
dum est. Si pars feudi evincatur; dominus, qui
vasallo id concessit, ad illius partis evictionem
præstandam tenetur, quæ in eo consistit, ut aliam
rem similis valoris ei concedat. Sicard. in Rubr.
C. de

C. de evict. n. 12. Matthæus de Afflict. in præludijs feudal.
n. 155. & 156. idem adfirmat de Emphyteusi Sicchar-
dus d. loc.

XLI.

Restat adhuc, ut breviter consideremus res
incorporales, quarum evictio debetur, & vocan-
tur aliàs jura, quia neque à nobis tangi, neque ocu-
lis cerni, vel alio sensu corporeo percipi possunt.
tit. Instit. de reb. corp. & incorp. l. i. S. i. ff. de rer. divis.
illa verò præcipuè sunt duplicia, vel Jura in re, vel
Jura ad rem. Aut enim res ipsa quasi nobis obli-
gata est, & jus in re aliquâ jam tum acquisitum ha-
bemus, uti est jus hereditatis, domini, servitutis,
pignoris, & possessionis & vocatur jus illud in re,
aut nondum nobis ejusmodi jus in re aliquâ sem-
per comparatum est, sed persona præcipuè libera
consensu suo sese obligavit, vel ad rem dandam, vel
ad faciendum, & jus ex ejusmodi obligatione re-
sultans appellatur jus ad rem, quia sæpe tendit ad
rem aliquam consequendam, non rarè etiam ad
rem jam tum nostram restituendam, uti fit in con-
tractu depositi, commodati, & locationis conducti-
onis. Ex numero jurium in re primo se loco offert,
hæreditas vendita, vel alio titulo oneroso in nos
translata; *arg. tit. ff. & C. de hered. vel act. vend.* mo-
do non sit viventis hæreditas, nihil enim tum actum
est *l. i. ff. de hered. vend.* Improba siquidem est omnis
de vivi successione cogitatio, & flagitium in excu-
G sabile

labile secum trahit. l. ult. C. de pact. vid. l. 2. ff. de his
que ut indign. auf. Frantzk. ad tit. de hered. vend. n. 3.
Futura tamen incertæ personæ hæreditas vendi pot-
est, quia in sese non continet votum captandæ mor-
tis, & sic ratio prohibitionis cessat. Dn. Lauterb.
ad tit. ff. de hered. vend. thes. 3. Quin & tertii viven-
tis hæreditas efficaciter venditur, si fiat cum ejus
consensu, & is in eâ voluntate perseveret. l. ult. C. de
pact. Dn. Lauterbach. alleg. loc. thes. 3. Hereditate igi-
tur venditâ hæres, qui eam vendidit, ad eviçtionem
præstandam est obligatus, sive illa forte in rerû natu-
ra non est, sive est, & ad venditorem non pertineat;
illo tamen casu, pretium & interesse, hoc vero; sola
hæreditatis æstimatio præstanda est. l. 8. 9. ff. de hered.
vend. nisi sub hoc pacto hæreditas fuerit vendita,
quatenus ad venditorem pertinuit, vel si quod jus
habuit. Ita enim videtur quasi spes & alea vendita,
modo bona fide negotium gestum sit, atque adedò,
licet hoc casu hæreditas evincatur, nulla eviçtio de-
betur. l. 10. & 11. ff. de hered. vend. Dn. Lauterb. ad h.
tit. thes. 4.

XLII.

Non tamen venditor hæreditatis singularum re-
rum hæreditariarum eviçtionem præstare tenetur,
unde & de earum eviçtione non satisdat, quia non res
hæreditarias, sed ipsum jus hæreditatis vendidit, &
hoc inter ementem & vendentem tacitè agitur, ut
neg.

neq̄ amplius, neq̄ minus juris emtor habeat, quàm apud
hæredem futurum esset. l. 2. init. ff. de hæred. vendit. quip-
pe in hæreditatis venditione nihil interest, quanta sit
hæreditas, modo venditor res hæreditarias emtori
tradat. l. 14. §. 1. ff. de hæred. vel act. vend. confer Ce-
walli Spec. comm. opin. contra communes quest. 536.
num. 37. & 38. nisi aliud actum fuerit. l. 1. C. de evict.
Ioh. Balthas. tit. 8. resolut. Bavar. resol. 7. n. 15. Du.
Lauterb. ad h. t. de hæred. vend. thes. 7. vel venditor in-
retrogatus ab emtore dixerit, hanc rem esse hæredi-
tariam l. 15. ff. de hæred. vel act. vend. quia & de facto suo,
uti Ulpianus in l. 2. ff. de hæred. vel act. vend. loquitur,
satisdare cogendus est, hoc est, quod ipse res hæredi-
tarias evincere nolit, vel secundum Frantzkiï expli-
cationem satisdare debet, hæreditatem, quam ven-
didit revera esse, & se hæredem esse. Frantzki. ad tit.
de evict. n. 28. & seqq. vid. etiam quatenus in hæredi-
tate venditâ evictio præstanda sit. Ioh. Anton. Margil.
tract. de evict. quest. 52.

XLIII.

Ad jura in re, quorum præstanda est evictio. (2)
pertinent servitutes personales, qualis est ususfru-
ctus. De eo enim evictio non minus emtori actio
competit, atque si res corporalis evicta sit. l. 49. ff. de
evict. ubi Cajus inquit, si ab emtore ususfructus peti-
tur, proinde is venditori denunciare debet, atq̄ is, a quo
pars petitur vid. l. 43. l. 46. init. ff. h. l. 66. ff. de contrab.

G 2

emt.

ent. Cum enim usufructus emolumentum totius rei contineat, l. 66 §. 6. ff. de legat. 2. non incommo-
dè pro parte domini & rei corporalis in jure ha-
betur, l. 4. ff. de usufr. l. 76. §. 2. ff. de legat. 2. l. 58. ff.
de V. O. & dicitur alias usufructus causalis, quem
dominium causatur, & domini ex re suâ percipere
possunt. A quo plane diversa est servitus usufruc-
tus personalis, quæ consistit in facultate percipi-
endi omnes fructus, & utilitates ex re non propriâ,
(nam hæc est genuina causalis usus fructus indoles)
sed alienâ, salvâ tamen istius rei substantiâ, & à
Doctõribus formalis dicitur, quia planè separatam
formam à proprietate & dominio habet vid. Instit.
tit. de usufr. ff. & C. eod. & certis personis, quibus est
constituta, cohæret, ita, ut una cum ipsis extingua-
tur. §. ult. Instit. de usufr. l. 3. §. 3. ff. quib. mod. usufr.
vel usus amitt. l. 3. C. de usufr. l. 13. solut. matrim. Hac
igitur servitute evictâ, si alicui vendita, vel alio ti-
tulo oneroso in eum translata fuerit, actionem de
evictione locum habere, certum est, vid. l. 38. §. 10.
11. 13. ff. de verb. oblig. Idem de reliquis personali-
bus servitutibus, uti usu, & habitatione: dicendum
videtur.

XLIV.

Tertiò huc spectant, servitutes prædiales, sive
reales tam urbanæ, quàm rusticæ, & primo distin-
guendum

guendum est, utrum prædio emto debeantur, an
verò istud vicinis prædiis ejusmodi servitutes de-
beat. Primùm de priori casu; ubi Venuleius in *l. pen.
ff. de evict.* scribit, interesse, num prædium simplici-
ter, an verò cum adjectione expressâ, quod servitus
illi accedat, vel debeat, venditum sit. Si illud:
venditor de evictione non obligatur, cum tacitè
faltem accedant, & non sint pars prædii venditi,
sed nudæ accessiones, de quibus non aliter, quam
si venditor nominatim id dixerit, evictionis nomi-
ne agi potest, licet fundus, *ut optimus maximus* fue-
rit venditus, qua formula id tantum innuitur, quod
fundus venditus ab omni servitute liber præstan-
dus sit, non verò, quod isti servitutes quadam debe-
antur, *d. l. pen. ff. de evict. l. 90. l. 169. ff. de verb. signif.*
Sin hoc & venditor nominatim dixerit, accessurum
iter, vel actum, aut aliam similem servitute[m], quia
non amplius sunt nudæ accessiones, sed pro parte
rei venditæ habentur, & illarum simul facta est
venditio: earum evictio debetur. *d. l. pen. ff.
de evict. l. 6. §. 6. ff. de act. emt. vendit.* venditor ta-
men evictionis nomine non in duplum tenetur, sed
ad dandum interesse actione ex emto convenien-
dus est. *vid. l. II. §. 17. l. 26. ff. de act. emt. & vendit.*

XLV.

Quod verò istas servitutes, quas prædium ven-
ditum fortè debet, attinet, *juxta d. l. pen. ff. de evict.*

videndum est, num venditor fundum simpliciter; an verò uti optimum maximum, *frey von allen oneribus, ohne alle Beschwerung* vendiderit, Illic venditor de evictione servitutis, quam alius sibi in eo prædio deberi evicerit, non tenetur, quia intelligitur vendere prædium, quale est, *l. 59. ff. de contrab. emt.* modo illa appareat, & in oculos quasi incurrat. Quod si autem emtor eam ignoraverit, venditor tamen ejusmodi servitutis haud inscius eam celaverit, actio *quanti minoris* adversus venditorem locum invenit. *l. 61. ff. de edil. edict.* Tenetur enim omninò venditor, (licet protestatus fuerit, se nolle obstringi de servitute) bonâ fide servitutes cognitâs significare. *l. 21. §. 1. de act. emt. vend. Frantz. ad tit. de edil. edict. Brunnem. ad l. 61. ff. de evict.* Hic; quia liberum ab omni servitute præstare debet, tenetur. *l. pen. ff. de evict. l. 90. l. 126 l. 169. ff. de V. S. Caballin. de evict. §. 5. n. 70. Gomez. tom. 2. resol. c. 2. n. 45. § secundo limita.*

XLVI.

Eodem, (4) referendum est, jus Patronatus Ecclesiasticum, Germanicè *Kirchensatz / Pfarlehen / Geistlich Lehnrecht / oder Lehnenschaft.* vid. *Iohan. Rudiger. sing. observ. cent. 3. observ. 20. Christoph. Besold. in thes. pract. verb. Kirchensatz. n. 26.* tum quod auctoritate Episcopi, & consensu patroni, cum aliâ re spirituali, sive ei connexâ propter urgentem necess-

necessitatem & parochiarum utilitatem permutari.
*c. quæsitum 5. c. quæstiones 6. c. exhibita 9. extr. de rer.
permut. c. nemini. 41. caus. 16. q. 7. ibi. vel commutare
nisi cum alio ministerio. Roch. de Curte de Jur. Patron. cap.
de translat. Iuris patronat. n. 27. 28. tum quod cum
universitate, qualis est, urbs, pagus, castrum, villa,
prædium, hæreditas, si in illâ invenitur, vendi in-
que alium transferri possit. c. ex literis 7. c. cum secu-
lum 13. c. præterea. 23. ibi: vel emtionis titulo. Roch. de
Curte d. cap. de translat. jur. Patron. n. 40. Anton. de
Butrio ad c. ex lit. 7. n. 7. (5) reliqua jura affinitatem
cum prædialibus servitutibus habentia, quale est
jus venandi, decimarum, quin & ipsa jurisdictio
& jus vectigalium, si titulo oneroso acquisita sunt,
& alia similia.*

XLVII.

Ex rerum incorporalium numero, quarum evi-
ctio præstanda est, demum supersunt jura ad rem,
hoc est actiones, vel nomina vendita, aut ex alio ti-
tulo oneroso cesa. Tenetur autem venditor, sive
cedens præstare, (1) verum nomen & debitorẽ, hoc
est, qui nequeat opponere exceptionem perem-
toriam. l. 4. ff. de hæred. vel act. vend. l. 74. §. 3. ff. de
evict. & (2) sicertæ summæ debitor dictus sit, in eam
summam venditor tenetur. l. 5. ff. de hæred. vel act. vendit.
non tamen debet præstare debitorem locupletem. l. 4.
ff. de hæred. vel act. vendit. licet cedens seu venditor
caverit,

caverit, cessionarium indemnem præstare, *Schad-
loß zuhalten* / quia hæc verba tantum denotant
evictionem nominis cessi, id est, ut *nomen illud ve-
rum sit*, præstare, non verò alterare, uti loquuntur,
possunt naturam contractus, ita ut importent, quod
cedens teneatur locupletem, & qui sit solvendo,
præstare debitorem. Accedit, quod quemadmo-
dum ad emtorem rei corporalis à tempore con-
tractus celebrati periculum rei venditæ pertineat.
*§. 3. Instit. de emt. vend. l. 7. l. 8. de peric. & eommod.
rei vend.* ita & ad cessionarium sive emtorem no-
minis, cui per cessionem nomen venditum quasi
traditur, (nam in rerum incorporalium venditio-
ne cessio est instar traditionis. *l. 3. init. ff. pro soc. l. ult.
de donat. l. 49. §. ult. de acquir. vel amitt. possess.*) peri-
culum nominis venditi, quod in eo consistit, num
cessus debitor locuples, vel solvendo sit, nec ne?
unicè spectet, vid. *l. 96. §. 2. ff. de solut. Caballin. de
evict. §. 2. n. 4. Frantzk. de evict. n. 24 & seqq. cum n. 35;
& alius seqq. Nicol. Burgund. in simil. tract. c. II. n. 2. &
seqq. add. præcipuè excellentissimum olim Academiæ hu-
jus decus Dn. Habn. in suis observ. ad Wesenbec. tit. de
hered. vel act. vend. n. 12. & tit. de evict. n. 10. ubi hæc
omnia duobus responsis eleganter illustrat. neque etiam
cessionarius sive emtor ignorantia se tueri potest,
cum sit, quod imputetur ei, cur admiserit debito-
rem, priusquam conditionem ejus penitus explora-
verit.*

verit. l. 19. ff. de Reg. jur. Perinde autem est, siue nomen sit purum, siue sub conditione, vel in diem debeatur: utrumque enim est ea res, quæ emi & venire potest. l. 17. l. 19. ff. de hered. vel act. vend.

XLIIX.

Et hæc omnia porro ita se habent, nisi (1) aliud actum sit, hoc est, venditor debitorem idoneum & locupletem esse affirmaverit, nam hoc præstare debet l. 4. ff. de hered. vel act. vend. sufficit tamen tempore cessionis, eum fuisse idoneum, licet postea talis esse desierit, quia post illud tempus periculum nominis cessi in cessionarium & emtorem transit, l. 96. §. 2. ff. de solut. Carpz. in jurisprnd. for. part. 2. conslit. 34. def. 26. & hunc aliosque referens Dn. Lanterbach. ad tit. de hered. vel act. vend. §. 2. thes. 19. vel (2) venditor scivit, debitorem cessum non esse solvendo, & actionem cessam inanem esse, idque dolosè emtorem celarit. l. 74. §. ult. ff. de evict. vel (3) debitor mandat & cedit creditori, ut debitum suo nomine exigat, ea enim debiti exactio fit periculo cedentis, & mandantis, & Germanicè proferri solet, *auff abschlag etwas einfodern* non verò hoc in casu periculum in cessionarium, & creditorem exigentem transit, sed potius hic locum habet, quod apud nostrates dici solet, *anweisung ist keine zahlung*, Frantzk. de evict. n. 57. 58. Lanterbach. d. l.

H

thes 19.

thes. 19. Et sic etiam pro nostro instituto satis de re-
bus actum fuit.

XLIX.

Reliquum est, ut causas & negotia breviter
percurramus, in quibus evictio præstanda est, ho-
rum autem alia sunt Onerosa, ubi scilicet res non
gratis, sed aliquo dato, vel facto acquiritur; Alia
Lucrativa, in quibus rem gratis accipimus: De iis
in univ[er]sum ita argumentari possumus. In qui-
buscunque causis res titulo oneroso transfertur,
in illis evictionis præstatio locum invenit. *l. 52. ff.
de evict. l. 29. C. eod. l. ult. ff. de Condiēt. caus. dat. caus.
non sec. l. 8. C. de sentent. & interlocut.* Tale autem ne-
gotium (1) est Emptio venditio *l. 1. ff. de evict. l. 16.
& passim C. eod.* & primarium quasi locum tenet,
quia huic adedè naturaliter, & tanquam proprietas
quædam inest evictionis præstatio, ut ad illius
exemplum in omnibus negotiis affinitatem cum
ipsâ habentibus recepta fuerit, modò non sit
contra leges inita, vel propter deficientem con-
sensum, aut rem inhabilem ipso jure nulla, tum
enim nullum quoque erit, quod ei aliàs tanquam
naturale inest, *l. non dubium 5 C. de leg.* Quod si ta-
men aliquis nesciens loca sacra, vel religiosa, vel
publica, pro privatis comparavit, licet emptio non
teneat, ex emto tamen adversus venditorem ex-
perietur: ut consequatur, quod interfuit ejus, ne
deci-

deciperetur, *l. 62. §. 1. ff. de contrab. emt.* pari modo si quis in alea hoc est ludo aleatorio rem suam vendat, ut ludat, & evictâ re conveniatur, exceptione summovebitur emtor, quia hæc vendito legibus est prohibita *l. 2. §. 1. ff. quar. rer. act. VVesenb. parat. ad tit. de aleat. n. fin. in fin.* quemadmodum enim ipsa alea, quia multorum malorum causa est, jure civili meritò interdicitur *l. 1. l. ult. C. de aleator.* ita & venditio, quæ ludum aleæ fovet, eodem jure improbat.

L.

(II) Datio in solutum *l. 4. C. h. t.* quia vicem emtionis obtinet *l. fin. ibi emtori similis est qui in solutum accepit ff. ex quib. caus. in poss. eat. d. l. 4. C. de evict. l. 44. ff. de solut. l. 24. ff. de pignor. act.* Cum requisita omnia emtionis veræ interveniant: Res scil. in solutum data, instar mercis; (2) consensus debitoris quasi vendentis expressus in voluntaria: In necessariâ verò datione in solutum, quæ fit auctoritate judicis consensus debitoris per consequentiam adesse præsumitur, (3) denique pretium seu taxatio, eaque vel ipsarum partium, vel judicis, quæ ita necessaria, ut sine eâ & præviâ subhastatione datio in solutum necessaria non subsistat, *l. 3. C. de execut. rei judic. l. 1. l. 3. C. de jur. dom. impetr. l. fin. C. in causis judic.* Distinguendum tamen est, num pro pecuniâ res æstimata, an verò simpliciter res

pro re soluta est. Priori casu, quia in effectu em-
tio venditio contrahitur, pristina obligatio & actio
mutui non manet, sed solum utilis ex emto actio
locum invenit. *l. 4. C. de evict. l. 24. pr. ff. de pignor.
act. Ricc. decis. collect. 495. Stephanus Gratianus tom.
prim. discept. for. n. 14. & seqq. Surd. consil. 145. n. 34.*
nisi Creditor protestando dixerit, à pristina obli-
gatione se recedere nolle, *Gratianus dict. loc. Capoll.
cent. 123.* estque illa cautela utilis propter fidejus-
sores, qui primæ obligationi accesserunt, & hy-
pothecas tempore forsan antiquiores. Postero-
ri, quia negotium hoc in speciem permutationis
incidit, quæ non nisi interventu rei propriæ effi-
caciter contrahitur, res aliena in solutum data non
liberat debitorem, & inde si illa evicta fuerit, quasi
non factâ datione in solutum pristina obligatio
rei debitæ, ac actio integra adhuc manet. *l. 8. in
fin. C. de sentent. & interloc. omn. judic. l. 46. init. ff. de
solut. Surd. d. consil. num. 34.* ita, ut hæc cum illâ, quæ
est de evictione in id, quod interest concurrat, & li-
berum sit creditori an hæc, vel illâ veteri experiri
velit.

LI.

(III) Permutatio, etsi enim in multis à vendi-
tione differat, tamen uti in aliis, ita & in hoc,
quod evictio in eâ præstanda sit, similis, & vicina
est emtioni *l. 1. § 1. l. 2. ff. de rer. permut. l. 2. C. eod. inde
etiam quasi emtio vocatur l. 62. de Jur. dot. & is, qui
rem*

rem permutatam accepit, emtori similis est, *l. fin. ff. quib. ex caus. in poss. eat.* quin uterque permutantium emtoris & venditoris loco habetur *l. 19. §. 5. ff. de edil. edict.* non tamen actionem ex emto, sed præscriptis verbis locum habere, si à permutante res fuerit evicta omnino existimamus *l. 7. §. 2. ff. de pact. l. 5. §. 2. ff. de præscr. verb. l. 1. C. de rer. permut.* quia is, qui ex parte suâ contractum implevit, & rem propriam dedit, hoc intendit, ut vel res vicissim pro re evictâ tradatur, & placiti fides servetur, vel saltem præsteretur id, quod interest, *l. 29. C. de evict.* & eo nomine solû præscriptis verbis actio competit. *d. l. 5. §. 2. ff. de præscr. verb.* Hoc tamen non negamus, integrum esse permutanti rem propriam, quam dedit, repetere, si ipsi res data evincatur, per actionem in factum & hoc innuere voluit *Ietus in l. 1. §. 1. ff. de rer. permut.* cessat igitur actio ex emto utilis & loco ejus præscriptis verbis actio hoc nostro casu datur. *Dn. Hahn, ad tit. de præscr. verb. n. 8. vid. l. 2. §. 20. ff. de præscr. verb.*

LII.

(IV) Divisio hereditatis, quia partim permutationi, partim emtioni venditioni similis est: Permutationi: quod suam quisque partem in re unâ alteri det, ut ab eo vicissim in aliâ re partem ejus accipiat, *l. 20. §. 2. ff. fam. ercisc. jud. l. 77. §. 8. ff. de legat. 2.* Emtioni venditioni: tum quod uterque contractus, & actio ex eâ descendens sit bonæ

H 3

fidei

fidei §. 28. *Inst. de act.* tum, quod familiae herede iscun-
dæ arbiter, hoc est Judex in hoc negotio res he-
reditarias, quæ aut omnino non, aut non commo-
dè possunt dividi, admittit licitatione uni adsigna-
re, eumque alteri ad pecuniam in locum quasi pretii
perfolvendam condemnare soleat, hinc etiam in
*l. 1. C. Comm. utriusq. jud. divisio prædiorum vicem em-
tionis obtinere dicitur. Nec interest, sive in ju-
dicio, sive extra illud facta fuerit divisio, utroque
enim casu manet adhuc similis tam permutationi,
quàm emtioni. l. 14. C. Famil. excisc. l. 25. §. 21. ff. eod.
l. 66. §. fin. ff. de evict. l. 7. C. Commun. utriusq. judic.
Gail. 2. observ. 14. n. 6. Quando igitur res alteri in
divisione assignatâ evincitur, neque per stipulatio-
nem, vel pactum evictio promissa est, duæ actiones
competunt. Altera est quasi ex emto actio. arg.
l. 1. C. commun. utriusq. judic. l. 66. §. ult. l. 70. ff. de
evict. Altera, præscriptis verbis: quasi ex per-
mutatione descendens. l. 7. C. commun. utrius. judic.
l. 14. in fin. C. fam. excisc. judic. Excipiuntur tamen
nonnulli casus, in quibus evictio cessat. (1) si spe-
cialiter de non præstandâ evictione conventio inita
est. l. 14. in fin. C. Fam. excisc. judic. hoc enim pactum
servandum l. 1. §. 6. ff. de poss. (2) ubi mutuum pe-
riculum in rebus hæreditariis divisis subest, quo
casu ultro citroque fit quasi compensatio. (3) si
dividentes sciverint, rem evictionis periculo ob-
noxiam*

noxiam effe. *l. 7. C. comm. utriusq. judic. l. 27. C. de evict. Gail. 2. observ. 139. n. 15. Fachin. libr. 6. contro. cap. 68. conclus. 8.* quia tum quilibet suæ portio- nis periculum suscepisse censetur, & hæredes evictionem in nonnullis rebus hæreditariis metu- entes, eò minus illas æstimare soleant, sibi que im- purent, quod sine pacto, vel stipulatione de præ- standâ evictione interpositâ ejusmodi res accepe- rint. *d. l. 27. C. de evict.* suoque juri, quod ipsis per- missum est, renunciassè quasi videantur; (4) si do- lo, vel culpâ cohæredis evictio facta est. *Bartolus in l. qui Rom. 122. §. duo fratres in fin. ff. de verb. oblig. arg. l. 55. init. l. 63. §. 2. ff. de evict.* (5) Si res uni ex cohæredibus prælegata evincatur, adversus co- hæredes actio ad evictionem præstandam non da- tur, videtur enim testator hoc prælegatum donâsse, in donatione autem nulla præstanda est evictio, *l. cum pater 77. §. evictis 8. de legat. 2. Fachin. libr. 6. contro. 68. conclus. 1.* (6) quando testator divisit bona inter hæredes, non habet alter contra alte- rum actionem de evictione, benè tamen exceptio- nem, id est ei, cui res hæreditariæ ex portione sibi à testatore assignatâ evincuntur, tamdiu retinere potest res hæreditarias ad cohæredes pertinentes, donec evictio ipsis præstetur, ita Doctores com- munitè volunt. per *l. 77. §. evictis 8. de legat. 2. vid. Brunnem. ad d. text. & al. ab ipso allegat. Doctores.*
Demum

Demum quando in hereditatis divisione ad co-
hæredes evictionis periculum spectat, pro par-
tibus suis tantum eam præstare obstricti sunt.
*l. 14. ibi: rectè possessionis evicta detrimentum patrem
& cohæredem tuum pro parte agnoscere vid. Schneidew.
ad §. 20. Instit. de act. rubric. de act. fam. ercis. n. 23.*

LIII.

(V) Locatio Conductio. *l. 9. ff. Locat. cond.*
idque non tantum, si locator sciverit rem locatam
esse alienam, verum etiam si ignoraverit. *l. 15. §. pen.
ff. locat. cond. Cabal. de evict. §. 4. n. 46.* nam si culpâ
locatoris conductor re locatâ uti nequit, (quæ sub-
esse videtur, si rem alienam locet conductori) ad
omne interesse tenetur, accedit, quod locatio prop-
inqua sit emtioni venditioni, iisdemque quasi re-
gulis contineatur. *init. Instit. locat. cond. l. 2. init. ff.
eod.* (VI) Emphyteusis, si res aliena in eam con-
cessa, quia est similis tam emtioni, quam locationi.
§ 3. Inst. locat. conduct. & præterea titulus onerosus
subest, cum domino directo ab Emphyteuta quot-
annis canon sit persolvendus. *§. 3. l. 1. ff. si ager. vecti-
gal. l. 2. C. de Iur. Emphyt.* ut jam non dicam, quod
emphyteusis sæpius pretio comparetur. (VII)
Transactio, circa quam distinguendum est, num
in eâ aliquid datum sit, an verò penes unum transi-
gentium aliquid permanserit: priori casu, dans
re istâ evictâ de evictione tenetur, posteriori
evictio

evicto cessat. *l. si pro fund. 33. C. de evict.* dans tamen
priori casu, si stipulatio intercessit actione ex sti-
pulatione, vel aliàs præscriptis verbis conveniendus
est. *d. l. 33. C. de transact. vid. Bart. Bald. Salicet. Go-
mez. tom. 2. resol. 2. n. 38.*

LIV.

Contra in quibuscunque negotiis & causis res
gratis, & titulo lucrativo acquiruntur, in illis evi-
ctio non est præstanda: nam propter pretium vela-
liam rem datam, quam is amittit, cui res titulo one-
roso acquisita est, potissimū introducta est evictio.
*l. emptorem 11. §. fin. vers. neq. enim bonæ fidei. de act. emt.
l. 1. ff. de rer. permutat.* talis causa est Donatio, eaque
est vel simplex, vel ob causam, quoad illam inquit
Labeo *in l. 28. §. 3. ff. de Donat. si quis mihi rem alienam
donarit, quæ evincatur, nulla mihi actio contra donatorem
competit, quàm de dolo*, eo nimirum casu, si donator
sciens & prudens, atq; adeo dolosè & animo dona-
tario nocendi rem alienam dederit *d. l. 18. §. 3. l. 62 ff.
de ædil. edict.* debet enim fraudis suæ pœnam persol-
vere. Non verò distinguendum est, utrum donatio
à traditione inceperit, an verò res per donationem
alicui solum promissa sit, utroque enim modo e-
victionem non esse præstandam arbitramur, quia
in legibus hæc distinctio non fundata invenitur.
*vid. d. l. 18. §. 3. ff. de donat. l. 2. C. de evict. Frantzk. de
evict.*

*evict. num. 424. & aliquot seqq. Trentacinquius libr. 3.
tit. de donat. resol. 2. Brunnem. ad l. 2. C. de evict. Quod
autem in donatione evictio locum non inveniatur,
duplex præcipuè subest ratio, (1) quod donator in
re donata non aliud jus, quam ipse habuit, alteri
concedat, nec concedere possit, l. 71. ff. de legat. 1.
(2) quod iniquum esset, si, re donatâ evicta, aliam
rem donatario restituere, atq; adeò suæ liberalita-
tis quasi pœnam luere deberet l. 62. ff. de adil. edict.*

LV.

Donationes ob causam vel sunt propter
suspicionem & intuitum mortis, ita, ut non prius,
quam donatore mortuo, effectum habeant, vel
ob causam inter vivos. Propter intuitum mor-
tis, donatio fit à testatore rem legante, §. 1. *in-
stit. de donat.* Is itaque aut in genere legatum
reliquit, aut in specie: si in genere, puta equum,
domum, fundum, vel aliam rem similem, & spe-
cies sub illo genere comprehensa legatario ab
hærede tradatur, & postea evincatur, hæres de
evictione tenetur l. 58. de evict. l. 45. §. 1. de leg. 1. quia
genera perire nequeunt l. 11. C. si cert. pet. Quod si
autem in specie res legetur, cujus dominum se te-
stator credidit, & post legatario evincatur, ad præ-
standam evictionem hæres non est obligatus l. 40. de
evict. l. 45. in fin. de legat. 1. l. 77. §. 8. de legat. 1. actionem
tamen legatario cedere tenetur, si quam habuit
evi-

evictionis nomine adversus auctorem defuncti
l. 59. b. idem obtinet in donationibus mortis causa,
quia legatis quoad effectum per omnia ferme ex-
æquata sunt §. 1. *Instit. de donat. l. ult. C. de donat. mort.*
caus.

LVI.

Donationes, quæ fiunt ob causam inter vivos,
aut ob causam præteritam tantum, vel futuram
tantum, aut ob causam præteritam & futuram si-
mul conferuntur, & vocantur remuneratoriæ,
neque ob quævis merita exhibentur, sed in-
signiora, quæ singularem operam requirunt,
quæque non raro plus quàm pecuniâ æstimari so-
lent, & sæpius aliquid impensæ in se continent, e-
arumq; nomine extra ordinem solum agi potest, il-
læ enim non sunt tam donationes, quàm remunera-
tiones, mercedes & pretia officiorum exhibitorum.
l. 19. §. 1. l. 27. l. 34. §. 1. ff. de donat. l. 25. §. consuluit. l. 1.
in fin. verb. velut genus quoddam, hoc esset permuta-
tionis. l. 12. init. ff. mandat. l. 1. ff. de extraord. cognit.
Vnde non immerito aliquid donatario abesse cre-
ditur, si res remunerationis loco data ipsi auferatur.
Æquissimum igitur erit, ei pro ejusmodi re evictâ
alio modo satisfieri, & sic evictionem præstari,
& quamvis actio tunc non competat, locus tamen
erit extraordinariæ prætoris, & hodiè cujus-
libet Magistratus competentis cognitioni, cujus
I 2 officium

officium donatarius implorare potest, ut defectum
ordinariæ actionis suppleat.

LVII.

Ad donationem, quæ fit tantum ob causam fu-
turam, datio in dotem referenda erit. Dos enim
marito affertur, ut eò lubentius futura matrimo-
nii onera in se suscipiat, & sic maritus dotem non
titulo lucrativo, sed sic satis oneroso accipit. *l. 7. ff.*
l. 56. §. 1. l. 76. in fin. ff. de jur. dot. ubi distinguendum,
aut res loco dotis marito promissa, & ante tradi-
tionem evicta, & hoc casu, si nudo pacto promissio
facta, conditio ex lege. *l. 1. C. de jur. dot.* si stipu-
latio intercesserit, actio exstipulatu ad evictionem
præstandam adversus promittentem marito com-
petit. Qui enim promittit, sese obligat, cui obliga-
tioni non prius satis fit, quam si res promissa sol-
vatur. Aut verò sine præcedente promissione dos
traditur, idq; iterum vel æstimatò, & hoc casu redotali
evicta, quia hæc dotis datio est instar emtionis, actio
ex emto utilis, ad evictionem præstandam datur,
l. 5. C. de jure dot. aut inæstimatò dos traditur, quo ca-
su, si bonafide id factum, tradens de evictione non
tenetur: sin aliquis dolose & sciens hoc fecit, si est
extranea persona, actio de dolo: sin uxor vel focer;
in honorem matrimonii, & propter reverentiam
focero debitam actio in factum marito conceditur.
l. 1. C. de jur. dot. arg. l. 9. §. ult. l. 10. ff. de dol. vid. l. un. §. 1. C.
de Rei uxor. act.

LIIIX. De-

LIIX.

Demum ad donationem, quæ partim ob causam præteritam, partim ob futuram confertur, haut incommodè referimus concessionem feudi. Illud enim vasallis sæpius ob benè merita, & sub hac lege, ut in posterum fidem Vasalliticam, ut ita loquamur, servent, & servitia debito loco & tempore præstent, à Dominis conceditur. 2. *feud.* 23. Ob hoc igitur evictum, evictio deberur. Quod tamen intelligendum est, si res aliena ignoranti vasallo in feudum à domino detur. 2. *feud.* 8. *init.* 2. *feud.* 80. Verùm supra prolixius de feudis actum fuit.

LIX.

Restat, ut modum & requisita ad præstandam evictionem necessaria breviter excutiamus, ubi (1) requiritur, ut emtor litem motam venditori, vel auctori, à quo, rem accepit, denunciaret, & hoc vocatur in legibus auctorem laudare. *vid.* l. 63. §. 1. *ff. de evict.* l. 7. *C. eod.* Hâc enim omisâ emtor adversus auctorem suum evictionis nomine nullum regressum habet, sed condemnatus neque ad evictionem præstandam actione emti. *c. ult. X. de emt. vendit.* neque ex stipulatu, vel aliâ agere potest. l. 53. §. 1. *ff. b.* Inde imperatores denunciationis actum solemnem l. 18. *C. de evict.* Modestinus necessitatem appellat, l. 63. *init. ff. b.* idq; eo præcipue nomine videtur esse constitutum, ut emtor ab omni

culpæ & collusionis suspitione sese liberet. *arg. l. 29 ff. de inoffic. testam. & præterea à venditore post factam denunciationem instructus litem eo felicius prosequi, seque tueri possit, l. 53. §. 1. ff. b. c. ult. extr. de emt. vend.* Poterit enim paratiores probationes ab auctore suo petere. In hoc autem denunciationis actu, antequam ad alia requisita transcamus, quatuor sequentia paucissimis tangenda erunt, 1. quibus, 2. quomodo, 3. quando denuntiatio facienda, 4. demum, quod nam sit officium denunciati, denunciatione ritè peractâ. Quod igitur primum attinet, denuntiatio fieri debet ipsis auctoribus, si sunt præsentibus. *l. 38. §. 2. vers. denunciare. ff. de evict.* vel licet sint præsentibus, nec ignorent denunciationem fieri, eorum procuratoribus denunciare permittitur. *l. 56. §. 4. ff. b. jung. l. 79. ff. de V. O.* quod si venditor vel auctor sit absens, & faciat, quò minus ad se pervenire possit denuntiatio, tenetur non minus, ac si ipsi denunciatum esset. *l. 55. §. ult. l. 56. §. 5. ff. b.* tutius tamen est, si auctore latitante denuntiatio ad domum, vel si ignoretur ubi sit, per edictum fiat, *Caball. d. tract. §. 3. num. 98.* Quod si venditor plures hæredes relinquat, omnibus denunciandum est, quia omnes defendere debent *l. 62. §. 1. ff. b.* Quin & pupillo sine tutoris auctoritate denunciari posse, si tutor non appareat, benignius receptum est. *l. 56. §. ult. ff. b.*
quia

quia fit causa damni vitandi, & tantum ad jus nostrum conservandum, nec requiritur, ut persona cui denunciatur, sit legitima, *l. minor. 39. §. 1. in fin.* sed tantum ut tollatur negligentia denunciantis: accedit, quod leges pupillis in lucro iniquo, quod cum alterius damno & præjudicio conjunctum est, succurrere haud soleant. Opus tamen erit, ut, si tutoribus destituantur & amicos ac cognatos habeant, id ipsis denunciatur. *arg. l. 22. ff. ex quib. caus. major.* Alias si tutores copiam suam faciant, vel omnibus, vel ei solum, si divisim tutelam administrant, à quo alienatio facta fuit, & sic negotium gestum est, denunciatum esse sufficit, *l. 2. C. de divid. tut. l. ult. C. de auctorit. tut.*

LX.

Modus denunciationis faciendæ in eo consistit, ut emptor non tantum simpliciter auctori denunciet rem notam esse, verum etiam requirat, ut assistat liti, remque defendat, licet venditor sit præsens in judicio. Defensionem enim suam sponte afferre non tenetur. *l. 29. §. fin. ff. h. l. 21. l. 23. C. eod. vid. l. 58. ff. h.* Quod etiam extendunt nonnulli Doctores, ut licet venditor se juramento obstrinxerit ad evictionem præstandam, denunciatio tamen facienda sit. Verum tutior eorum sententia videtur, qui hoc casu sine præcedenti denunciatione venditores ad defendendos emptores obstrictos esse pronunciant.

nunciant: fides enim juramēti eos ad id satis monet
*vid. Fach. libr. 2. controu. c. 36. Gratian. tom. 1. discept. 175.
n. 31. Iob. Gutierrez. de juram. confirm. §. 1. c. 61. n. 19.*
Hoc insuper notandum est. Secundum nonnullos
Doctores denunciatio non vitiatur, licet in illa re-
quisitio ad defendendum omissa fuerit, quia ista ob
hunc finem fit, & alias simpliciores facillimè sup-
plantari possent. *Covarruv. libr. 3. resol. c. 17. num. 3.
Petr. Barbof. in L. venditæ. num. 19. ff. solut. matrim.
Brunnem. ad l. 29. n. 7. & l. 55. n. 4. ff. de evict.* Pragma-
tici insuper & hoc requirunt, ut acta litis motæ si-
mul transmittantur, sine dubio eum ob finem, ut
venditor secum deliberet utrum cedere, an con-
tendere malit. *Dn. Habn. ad tit. de evict. n. 5. Berlich.
part. 1. concl. 24. n. 82. & misso libelli & citationis
exemplo, eò melius de genere litis instruat vid.
Brunnem. ad l. 29. n. 6. ff. de evict.* Quolibet autem
tempore venditori denunciari potest, hoc est, tam
ante, quàm post litem contestatam, quia non præ-
finitur certum tempus in jure, modo jus emtoris
adhuc sit integrum, nec prope ipsam condemna-
tionem id fiat. *l. 29. §. 2. ff. b.* Nam quando atte-
stationes sunt publicatæ, & in causa conclusum,
auctori nullum superesset legitimum spatium, ad
probationes sui juris faciendas, accedit, quod post
illud tempus venditoris instructio, propter metum
subornationis, quæ facillimè, attestationibus publi-
catis,

caris fieri potest, non admittatur. *Carpzov. part. 1. constit. 3. def. 29. Berlich. part. 1. conclus. 24. n. 80. Zang. de except. part. 2. c. 2. n. 7. quin & in appellationis instantiâ denunciationem adhuc fieri posse, & quando hoc sit permissum, videre licet apud Brunne-
mannum ad l. 29. n. 8. ff. de evict. Gomez. tom. 2. re-
solut. cap. 2. num. 39. Alex. Trentacinq. libr. 3. tit. de
emt. resolut. 4. num. 4. Covarruv. variar. resolut. lib. 3.
cap. 17. num. 8.*

LXI.

Denunciatione ritè factâ, auctorum officium est, legitimo modo & tempore defendere emtores similesque personas, hoc est, assistere liti & causam instruere. *l. 21. l. 23. C. b. c. ult. extr. de emt. vend. inde etiam Hermogenianus ad id venditorem conveniri posse in l. 74. §. 2. ff. b. dicit. Quæ defensio in eo consistit. (1) si plures sint auctores, ut omnes hanc in se curam suscipiant, defensionis enim in divisa est natura, ita, ut non sufficiat, si unus & alter pro suâ tantum parte emtorem defendere velit. l. 62. §. 1. l. 85. §. 5. de V. O. l. 139. ff. eod. (2) ut venditor laudatus, h. e. denunciatus liti tantum assistat, non verò eam in se totam transferat. l. 21. C. de evict. l. 1. in fin. C. de peric. & comm. rei vend. (3) ut causam in eo statu suscipiat, in quo eam in venit. cap. fin. ut lit. pend. nihil in v. inst. adeoque auctorem non ad forum suum revocet, sed emtoris ju-*

K

dicem

dicem sequatur. *l. 49. ff. de judic.* ubi enim causa agitur, ibi defendenda est, *l. 5. §. fin. ff. judicat. solv.* & ubi acceptum est semel iudicium, ibi & finem accipere debet. *l. 30. ff. de judic.* Satis de denunciatione, & primo ad præstandam evictionem necessario requisito.

LXII.

Secundum requisitum est, ut res verè emtori, similibusque personis evincatur *l. 16. l. 21. pr. b. l. 3. C. eod.* ita, ut emtori cœperit abesse propter evictionem, *l. 21. §. 1. b.* & sic spes omnis eam habendi, vel recuperandi abscissa sit. *l. 35. b.* inde, si tantùm moveatur quæstio de proprietate venditor solum ad defendendum, non verò ad præstandam evictionem conveniendus est, *l. 74 §. 2. ff. b.* quia incertus est litis eventus, & sic spes rem habendi emtori nondum est penitus abscissa, nec emtor prius habet, quod conqueratur, antequam ipsi revera quid absit. *l. 4. pr. de act. emt. vend.* & hoc ita profert, *Ulpianus. in l. 21. §. 2. b. t.* *Cum neque corpus, neque pecunia emtori absit, non oportet committi stipulationem, l. 21. §. 2. ff. b. t.* si forsan per stipulationem evictio promissa sit. Quot igitur modis nobis res titulo oneroso acquisita propter evictionem sine ullâ spe recuperandi abesse potest, tot etiam modis præstanda est evictio, *l. 21. §. 1. l. 35. ff. b.* atque hoc fit, quando res restituta est ab em-
tore

tore petitori evincenti, atq; sic sententia adversus
emtorem executioni mandata est. *l. 16. §. 1. ff. h.* inde
si victor ante restitutionem rei moriatur, nec ullos
heredes relinquat, aded, ut neque ad fiscum bona
debitoris defuncti perveniant, nulla datur ad præ-
standam evictionem emtori actio, quia ipsi rem
habere licet, quamvis ad eam victori jam defuncto
restituendam condemnatus fuerit, *l. 57. ff. h.* (2)
si emtor damnatus est ad litis æstimationem; illa
enim similis est emtioni venditioni, *d. l. 16. §. 1. h. l. 3.*
ff. pro emtore, licet enim emtor rem emtam reti-
neat, tamen tenetur litis æstimationem solvere,
& sic secundâ quasi vice rem emere, ita, ut non am-
plius ex primâ, sed ex secundâ emtione rem pos-
sidere videatur, *l. 21. §. 2. ff. h.* (3) si emtor rem
emtam à tertio possessore vindicaverit, isque ab
actione absolvatur *d. l. 16. §. 1. ff. h.* non verò si emtor
vero rei Domino heres fiat, sive succedat, vel res
emta ipsi donetur, aut legetur, nam à se ipso rem e-
vincere nequit, licet itaque cesset actio ad evictio-
nem præstandam, pretium tamen, quia rem ex alio
titulo nanciscitur, actione ex emto recuperabit.
l. 57. §. 1. ff. de evict. vid. l. 9. l. 41. §. 1. ff. h.

LXIII.

Tertiò requiritur, ut res non tantùm verè evin-
catur, sed etiam ex tali causâ, quæ contractum,
ex quo evictio præstanda est, præcedat, adeoque

K 2

dolum,

dolum, vel culpam quasi venditoris conjunctam habeat, *Auctorem enim ex his tantum causis suo ordine tenetur, quæ ex precedenti tempore causam evictionis parant, l. 1. C. de peric. & commod. rei vend. talis autem causa est,* (1) si res vendita tempore contractus fuit aliena, vel (2) licet propria venditoris sit, tamen tempore contractus alteri fuerit obligata, vel (3) si non eo modo, quo fieri debebat, res alienetur, ut si res pupilli, aut minoris, sine decreto Magistratus vendatur *l. 39. in init. ff. b. Contra* quando res ob causam, quæ contractum sequitur ex quo aliàs evictio debetur, evicta fuerit, nulla evictio præstanda est, nam ejusmodi causa vel ad culpam emtoris, vel extranei, vel casum futurum, qui demum post contractum impletum nascitur, referenda erit, iniquum autem esset, siquidem venditor nihil committat unde hoc periculo & onere gravari posset, eum nihilominus ad evictionem præstandam obligari. *l. 11. ff. b. t. l. 3. C. de edilit. edict.* Accedit, quod emtor post perfectum emtionis contractum, & multò magis post traditionem rei venditæ factam tanquam Dominus rei venditæ periculum suscipere cogatur. *S. 3. Instit. de emt. vend. l. 7. l. 8. de peric. & comm. rei vend. l. 35. §. 4. ff. de contrab. emt. & simil.* Et hoc fit, quando res emtori à Principe ex plenitudine potestatis aufertur. Est enim casus futurus, qui tempore contractus prævideri non poterat, atque
adeò

adeo post contractam emtionem ad venditorem non pertinet *l. ii. ff. h. ita nec ob novæ collectæ impositionem venditor ad evictionem præstandam est obligatus, Carpz in Iurispr. for. part. 2. constit. 34. def. 19.* hinc enim casus iterum futurus est, & post contractum venditionis existit, neque etiam venditor de evictione tenetur, ubi res emta de facto invaditur. *Francisc. Vivius lib. i. decis. 12 pr.* sed de consuetis collectis potest superesse dubitatio, utrum emtor, si earum in contractu nulla facta fuerit mentio, harum nomine ad evictionem agere possit, & hoc negandum arbitramur. *arg. tit. C. sine cens. & relig. fundi compar. non posse,* quia præstatio evictionis non nisi pro oneribus ignotis atque occultis venditori injungitur. *arg. l. 27. C. de evict.* iisque, de quibus contrahentes haut cogitasse videntur. At collectæ publicæ lege decretæ, & impositæ, nunquam emtoribus possunt esse ignotæ. Sux igitur negligentix imputent, quod non diligentius exploraverint, nec cautius fuerint negotiati, *l. 19. ff. de Reg. Iur. Carpzov. d. l. def. 20. Frantzk. ad tit. de act. emt. num. 149.* Neque porro evictio præstanda est, si res vendita ex retractu gentilitio evincatur, & revocetur. Hinc enim nulla subest culpa & factum venditoris, quod huic evictioni causam dedit: sed ex natura rei, *uti loquuntur Iuri & ex consuetudine multorum locorum res im-*

mobiles & avitæ hodie ita evincuntur, cui ipse venditor non potest resistere, & sic iterum est quasi casus fortuitus. *Tiraq. de retr. p. 1. §. 1. Gloss. 9. n. 34. & 55. Anton. Gomez. tom. 2. c. 2. n. 40. Dn. Mæv. part. 5. Decis. 313.* Longè autem aliter se res habet, si res vendita ex retractu conventionali, qui ex conventionione venditoris originem habet, evincatur, quia enim venditor huic causam dedit, pro nomine tenetur ad evictionem præstandam. *Dn. Mæv. d. Dec. 313.*

LXIV.

Non verò sufficit (4) rem verè & ob causam contractum, ex quo evictio debetur, præcedentem, vel etiam culpâ auctoris esse evictam, sed simul opus est, ut in iudicio, hoc est auctoritate publicâ, & iudiciali evincatur, & via juris, perque modum processus, uti *Præctici loquuntur*, alicui auferatur, arg. *l. 24. in verb. Iudicio eum evictum esse, ff. de evict.* Perinde autè est, utrum res ipsa iudicio evincatur, an verò emtor illius æstimationè præstare coactus fuerit *l. 16. §. 1. l. 21 §. pen. in fin ff. b. t.* utroq; enim casu emtori aliquid propter evictionem incipit abesse, nec (2) interest, quo genere iudicii res evincatur, *l. 39. §. 1. in fin. ff. b. sive sit iudicium communi dividendo, d. l. 34. §. 1. b. sive rei vindicatio, sive actio serviana, l. 34. §. 2. l. 35. ff. b. sive interdictum, l. 35. ff. de act. emt. vid. l. 52. ff. b.* Ubi verò nulla necessitate
Judicii

Judicii cogente, neq; per viam juris, res fuerit evicta, ibi cessat præstatio evictionis, *l. 51. ff. de evict. l. 8. C. eod.* atque hoc fit, (1) si per imprudentiam, errorem, aut injuriam judicis emtor rei victus est *d. l. 51. init. ff. b. l. 8. C. eod.* injuria enim quæ fit emtori, auctorem non debet contingere, (2) si emtor culpâ suâ, quam vel in judicio, vel extra illud committit, rei jacturam faciat. Ita enim se gerere debet tam in judicio, lquàm extra illud, ne culpæ ipsius aliquid adscribi possit, uti fit, si non fuerit usus legitimis exceptionibus *l. 27. ff. b. l. 29. §. 1. ff. eod.* si voluntate suâ rem perdidit, *l. 25. ff. b. vid. l. 203. ff. de Reg. juris.* nam quod quisq; damnum culpâ suâ sentit, sentire haut videtur. (3) si longi temporis præscriptionem opponere potuit, quam neglexit. Nam rei emtæ dominium usucapione, vel præscriptione adeptus erat, & sic iterum culpa emtoris subest, *l. 54. ff. b. l. 19. C. eod.* (4) si idèd condemnatus fuit, quod in judicio abfuit, magis enim propter absentiam victus videtur, quàm quod malam causam habuit, *l. 55. ff. b.* (5) si nullâ necessitate cogente in arbitrum compromisit, ejusque laudo victus est, ejusmodi enim laudum non est sententia judicis, *l. 56. §. 1. ff. b.* (6) si non appellavit, vel appellavit quidem, bonam tamen causam in appellationis instantiâ vitio suo perdidit. *l. 63. in fin. ff. de evict.* (7) si emtor actionem, quam

quam venditor suggerebat, intentare superfedeat,
l. 66. init. ff. b. (8) si rem traditam pro derelicto
habet, amittit auctoritatem, id est actionem pro
evictione, *l. ult. ff. b.* (9) si rem citra iudicis disce-
ptationem emtori restituat, *arg. l. 17. C. de evict.*

LXV.

Considerandæ nunc brevissimè supersunt acti-
ones, quibus venditores, auctoresque alii, etiam in-
viti ad præstandam evictionem cogantur, consti-
tuunt enim in evictionis materia præcipuos effe-
ctus. Venditores igitur aliique auctores aut expres-
sè emtoribus, similibusque personis evictionem
promisere, aut in negotiis onerosis ineundis nul-
lam evictionis præstandæ fecerunt mentionem, si
prius, tum aut per pactum, aut per stipulationem
evictio promissa est *vid. l. 7. C. Comm. utriusq. judic.*
illic, si pactum negotio oneroso & bonæ fidei in
continenti est adjectum, quia illud inest contractui,
eique legem dat, & pars quasi illius habetur. *l. 7.*
§. 6. ff. de pact. actio ex contractu descendens locum
habebit, quod si ex intervallo contractui accessit,
hodie condictio ex canone, vel moribus ad evictio-
nem præstandam dabitur. *vid. Du. Habn. ad tit. de*
pact. n. 9. verb. Iure Pontificio. Hic verò, si per ver-
borum solemnitatem, & stipulationem evictio
promissa fuit, actio ex stipulatu competet, *l. 17. 18.*
19. init. ff. de evict. l. 8. C. eod. Aut venditor, aliique
auctores

auctores specialiter evictionem non promiserunt,
& plerumq; actio exempto, *l. 19. l. 56 ff. de evict. l. 6. §.*
C. eod. interdum actio præscriptis verbis, si in per-
mutatione, vel simili negotio evictio præstanda est,
locum habebit, *l. 7. C. Comm. utriusq; judic.*

LXVI.

Quibus & adversus quos enumeratæ actiones
dentur, videre licet ex illis, quæ supra de personis,
quibus evictio debetur, quæque eam debent, dicta
sunt. Nobis tantum id paucissimis perlustran-
dum erit, quid in singulas actiones veniat & dedu-
catur. Et primum quidem, quod ex stipulatu acti-
onem attinet, illa, quia est stricti juris tantum eam
quantitatem, quæ contrahentium conventionem de-
terminata est, persequitur, sive loco interesse, quod
alias difficillimæ est probationis, pretium in duplum,
sive triplum, sive quadruplum restituendum promissum
fuit, *l. 2. l. 56. ff. h. ubi hoc simul monendum est, in*
actione ex stipulatu interesse æstimari ex pretio,
quanti res fuerit tempore contractus, in actione ex
empto verò ex eo, quanti res est illo tempore cum
evincitur. arg. l. 64. init. ff. de evict. Francisc. Caldas de
emr. c. 31. n. 40.

LXVII.

Reliquæ verò actiones, & in specie actio exempto,
datur primum ad recipiendum pretium, deinde ad in-
teresse; *l. 60. l. 70. ff. de evict. l. 43. verb. de sumtibus*
verò, per Pretium hic intelligitur pecunia pro re
evictâ

evictâ venditori ab emtore data. Illam enim resolutio
propter rem evictam contractu emtor persequi poterit.
l. 53. in i. ff. b. Interesse autem nihil aliud est, quam
quod emtori propter rem evictam abest, & potuit lucrari.
l. 13. ff. Rem ratam habere, & hoc aliàs solet dici damnum
emergens, & lucrum cessans, quod quia magis facti est,
quàm Juris, *l. 24. ff. de Reg. Jur.* antequam restituatur, pro-
bandum est, quæ probatio eò potissimum tendit, ut emtor,
qui restitutionem ejus, quod interest, præterdit, (1) osten-
dat, jacturam suam esse certam, hoc est, evictionem esse
istius damni causam quasi proximam *vid. l. 21. §. 3. ff.*
de act. emt. vend. quod *Nicolaus Burgundius in comment. de*
evict. c. 89. num. 8. hoc exemplo illustrat, veluti, si pascua evi-
cta sint, & emtor pecora, quæ in illis habebat, coactus
fuerit, antequam succulenta essent, distrahere, lucrum hoc,
quia jam percipi potuisset, non quidem Apodicticè, verosi-
militer tamen certum est, adeoque illius ratio haberi debet.
Idem aliis exemplis commodè & dilucidè demonstratur,
uti si emtor domo evictâ cogatur aliò migrare non sine
dispendio rei suæ familiaris, & mercedis vecturæ, vel gre-
gem aluit in prædio evicto, qui propter defectum pascuo-
rum perijt, vel vilius distrahebatur, vel alia ipsi pascua carius
conducenda erant, *arg. l. 1. §. 15. ff. si quid in fraude patron.* (2)
ut damnum non ex affectu, sed verè, & ex eo, quod ipsi
reverâ abest, æstimeretur, *l. 13. ff. rem ratam habere*, ne autem
interesse in immentum excreseat, illius quantitas per gene-
ralem sanctionem *l. un. C. de sententiis, que pro eo, quod in-
terest*; hisce limitibus circumscribitur, ut duplum pretii
excedere nequeat.

LXIIII.

Ad interesse referri etiam possunt, 1. Impensæ in rem
evictam

evictam factæ, 2. sumtus litis, 3. fructus. Quod impensas
attinet, quas emtor in re evictâ fecit, videndum est, utrum
possideat rem evincendam, nec ne? si prius, adversus evin-
centem potest sese tamdiu tueri jure retentionis, & oppo-
sitâ doli mali exceptione, donec ipsi impensæ restitutæ fue-
rint, *l. 45. §. 1. ff. de act. emr. l. 10. C. de evict.* sin postorius,
adversus dominum evincentem nullam quidem, adversus
venditorem, vel auctorem verò, præsertim si res aliena ma-
lâ fide fuerit vendita, actionem ex emro habebit, *l. 9. C. de
evict. l. 45. §. 1. in fin. ff. de act. emr. vend. Cujacius ad banc le-
gem in fine.* Sequuntur sumtus litis, qui, si eorum præstatio-
nem venditor specialiter suscepit, sine dubio propter con-
ventionem initam debentur, *arg. l. 1. §. 6. ff. de pos.* Quod si au-
tem ejusmodi conventio non fuerit inita, re evictâ ad huc re-
fundendi sunt *l. 45. in fin. ff. de act. emr. l. 102. ff. de V. O.* Sin
demum emtor ab actione institutâ absolvatur, & sic causam
obtineat, à venditore sumtus repetere nequit, quia injuria à
meo adversario mihi illata, non debet ad venditoris injuriam
torqueri, *arg. l. 51. ff. b.* neque etiam cavere aut impedire
potest venditor, quo minùs emtor per injuriam aut ca-
lumniam vexetur, *Perez. ad tit. C. de evict. n. 31. Brunnem. ad
l. 18. C. de evict.* Demum & fructuum habenda est ratio, de
quibus *vid. Dn. Franck. de evict. n. 944. usq. ad 951.* Hoc ulti-
mo loco de actione emti breviter notandum, si venditor
sciens rem alienam vendidit, & hoc rei vitium dolosè em-
torem celavit, actionem emti ad interessè consequendum
ante evictionem locum habere *l. 4. pr. l. 13. pr. l. 30. §. 1. l. 45.
§. 1. in fin. ff. de act. emr.* quia dolus, qui societatem civilem
maximè lædit, nec indigentiam civium sublevat, sed auget
potius, à contractibus, commodis indigentiae sublevandæ
remediis, perquam diligenter arcendus est.

LXIX. Ex-

LXIX.

Extinguuntur tandem actiones pro præstandâ evic-
 tione competentes, quia personales sunt, per lapsum triginta
 annorum. *l. 3. C. de præscript 30. vel 40. annor. l. 1. §. 1. C. de an-
 nal. except.* non prius tamen illud tempus incipit currere,
 quam si res evicta est. *l. 70. ff. h. t.* quia ante illud tempus ne-
 que dies earum cessit, neque venit, adeoque nondum na-
 ta sunt, & sic non possunt per legitimam præscriptionem
 finire; *l. 213 ff. d. V. s. l. 21. C. b.* Quidquid enim nondum ince-
 pit competere, illud non potest dici desivisse, 2. si emtor
 rei emta dominium sibi præscriptione acquisivit, ex eo tem-
 pore venditor ipsi de evictione teneri desinit, *l. 54. l. 56. §. 3.
 ff. h. l. 19. C. eod.* quod fit jure civili in rebus mobilibus per
 triennium, in immobilibus inter præsentem per decennium,
 inter absentes per viginti annos *init. Instit. de usucap.*
 Jure verò Saxonico mobilia anno & die: Immobilia annis
 triginta & uno, cum tribus quaterdenis præscribuntur. *Matth.
 Coler. decis. 27. n. 4. Zobel. lib. 3. Landrecht ad art. 83. Carpz. in
 Jurüpr. for. part. 2. const. 3. def. 18.*

Et hæc sunt, quæ de amplissimâ, juxta ac nobilissimâ,
 inque foro assiduâ evictionis materiâ suavis præprimis Vene-
 randi Dn. Parentis meo opte quidem labore, ast pro modulo
 ætatis & ingenij in hæc paginas congerere, atque examini
 academico exponere potui. Faveat Benevolus Lector
 huic juvenili conatui, cujus diligentia, vel addenda, vel
 emendanda relinquens hic subsisto, gratius
 devotissimè actis.

DEO TER OPTIMO TERQUE
 MAXIMO.

106 (0) 50


ULB Halle
002 100 223


3



WDA
TA-206







B.I.G.

Farbkarte #13

TO JURIDICA 33. 5
DE

ONIBUS

AM
ITE CLEMENTIA
SIDE

1673,4

ENGELBRECHT
PER. ET JURIS CRI-
RI JULIA PROFES-
RDINARIO

RÆCEPTORE SVM-
NTIA COLENDO

MINI SVBMITTET

THIAS MARQUART
BURGENSIS

NO IVLEO

Mens. April.

EST ADI,
DIS MÜLLERI, Acad. Typ.

10 10 c LXXIII.

33.